LUCIANUS

SAMOSATENSIS.

FRANCISCUS FRITZSCHIUS

RECENSUIT.

VOLUMINIS III PARS I.

ROSTOCHII

IMPENSIS ERNESTI KUHNII

MDCCCLXXIV.

Typis academicis Adlerianis.

OTTONI FRIDOLINO FRITZSCHIO

THEOLOGO TURICENSI

FRATRI

Ἀντίδωρον.

Praefatio.

In hoc Luciani volumine et in reliquis quae adhuc restant etiam Vaticanorum codicum unius pluriumve conlatione uti licuit: de quo codicum genere infra seorsim exponetur. quod ad caeteros codices adtinet, de ‚Deorum Dialogis‘, qui hic primum locum obtinent eorumque libris scriptis in adnot. critica p. 3 satis dictum est. tum eorundem codicum usus in ‚Dialogis Marinis‘ patuit, praeterquam quod Parisinorum codd. nova comparatione hic carui unumque sequi Belinum coactus sum. transeo ad ‚Prometheum‘, in quo uno dialogo Vindobonensis 123 (B) omnium ille antiquissimus ita eminet, ut ad hunc maxime quasi regulam judicia nostra dirigenda sint. nam pro vulgata, quae saepe vitiosa est, B plerumque scripturas exhibet verissimas, quarum pars maxima jam ab aliis editoribus bene recepta est. equidem meis codd. usus sum duobus, Florentino saec. XIII (Φ) et qui antiquior est Vaticano 87 (𝔄) ac praeterea Marciano 434 (Ω) ap. Sommerbrodtium (in ‚Lucianeis‘ p. 3 sqq.). omnino et Florentinus Marcianusque haud ita raro et magis Vaticanus cum codice B consentiunt, ut tamen hi omnes saepe vitia teneant vulgatae. itaque codicum ope, absque uno B esset, hic certe libellus in

integrum totus restitui non posset. at vel sic mihi meorum (𝔄ΦΩ) conlatio multum profuit. quum enim ex alio fonte B ex alio 𝔄ΦΩ emanarint: modo Luciani verba, quae ex uno B exciderunt, in 𝔄ΦΩ servata sunt, modo praefiscini in his recte scripta leguntur, quae in B non carent vitio. praeterea Jacobitius contulit Vindobonensem 302 (J) codicem recentissimum. denique ex iis libris, qui jam patrum memoria inspecti sunt, raro memorantur hi: V (Graevianus), T (codex Poli), R (Anglus Bourdeloti), U (Longoli excerpta) et M (2954 Parisinus). venio nunc ad ‚Timonem', in quo codicibus usus sum septem, A*O*ΨΩΩ_2PR. et Gorlicensem (A) quidem ipse tractavi, Augustanum autem, qui nunc Monacensis est (*O*) L. Spengelii amicitia et tres Venetos 436 (Ψ), 434 (Ω), 435 (Ω_2) Sommerbrodti diligentia contulit. ex his Augustanus (*O*) quum pro Vindobonensis (B) pedisequo et quasi vicario haberi possit (ut bene Siemonsenius in Quaestt. Luc. p. 7 et p. 9), in ‚Timone' tamen non ubique notae est optimae, sed dignitate cedit Gorlicensi. hinc e solo Augustano nihil fere ausus sum recipere, nisi quidem praesens urgeret necessitas, velut in § 56 ordinem verborum legitimum. denique ab Ignatio Guidio Romae mihi bene comparati sunt duo codd. Vaticani, bombycinus no. 76 (signavi P) et chartaceus 86 (R), in quorum priore lectiones insunt perbonae. alii libri in Timone tam raro adferuntur, ut Hemsterhusium dicas omni fere instrumento critico destitutum fuisse. tamen sic quoque hic illic nominantur duo codd. ‚regii' (Parisini) apud Fabrum ac praeterea Graevianus (V), Poli conlatio (T), Longoli excerpta (U), Galeana (X), Anglus Bourdeloti (R) et margo Aldinae (Y). Fabri quidem codices haud dubie iidem sunt, quos

postea inspexit Belinus. quanquam rarissime Belinus Parisinos memoravit hos, librum 2957 (N), 2954 (M) et 1428 (L). ceterum qui post me hunc dialogum edet, carere vix poterit duobus codd. Vaticanis eisque optimis altero no. 90 (*Γ*), altero 87 (𝔄). restant ‚Dialogi Mortuorum': quos etiam Vindobonensis B exhibet plurimum ille quidem profuturus, si aut ipse talis esset, qualem in ‚Prometheo' se praestitit, aut saltem nova ejus conlatio exstaret, qua hic vel maxime opus est. sic quoque copiae mihi praesto fuerunt luculentae, dico codices octo, Vaticanum 87 (𝔄) et qui cum Vindobonensi partim tantum convenit Augustanum (*O*), Gorlicensem (A), Florentinum (*Φ*), Venetos tres (*Ψ*, *Ω*, $Ω_2$) et Guelferbytanum (F). huc accedunt scripturae codicum Parisinorum apud Belinum et horum in ed. Hemsterhusi librorum: VTDR(UXY), in quibus hic idem valet, quod de iisdem supra observatum est. et hic quidem e cod. Vaticano in Lucianum magnus sane fructus redundat, major etiam quam in dialogis deorum et marinis, ubi ille cum Vindobonensi B acriter, frustra tamen, de palma contendit. quamobrem plura ejusdem generis jam nunc adderem, nisi aliter visum esset redemptori verenti, ne moles libri nimium adcresceret. attamen evici, ut prior certe horum dialogorum pars nunc divulgari posset. altera pars hujus voluminis quam primum in lucem exibit, quae pars etiam novam conlationem Vindobonensis B complectetur. non sum nescius, etiam in dialogis deorum aliquot lectiones Vaticani 𝔄, quas adhuc repudiavi, probandas fuisse. ceterum religio fuit codicem ejusmodi solum audire, si ulla residere posset dubitatio. veluti in D. D. XXV, 1 p. 80 pro vulgata: *ὡς δεῖ ξυνέχειν ἀνάγκῃ τὸν χαλινὸν* unus 𝔄 verissime sic exhibet:

ὡς ἀεὶ ξυνέχειν ἀνάγκη τὸν χαλινὸν —. dubitaram de illo *ἀεί*, quod tamen Ovidi loco in Metam. II, 127 sq. haud disconvenit. pro inepto *ἀνάγκῃ* scribendum esse *ἀνάγκη* etiam Sommerbrodtius optime vidit, cod. Veneti scripturam *δή* pro *δεῖ* ille quidem amplexus: *ὡς δὴ ξυνέχειν ἀνάγκη τὸν χαλινὸν* —. at hanc scripturam quominus probarem, ipsum illud *ὡς δή*, quod olim ad D. D. XX, 15 p. 53 ed prim. adtigi, impedimento fuit: nusquam enim ita positum inveni. superest, ut tabulam, in qua conlocatio librorum vulgaris cum nostra conferatur, adiiciam:

	vulgato ordine	nunc
ΘΕΩΝ ΔΙΑΛΟΓΟΙ	VIII	23
ΕΝΑΛΙΟΙ ΔΙΑΛΟΓΟΙ	IX	24
ΠΡΟΜΗΘΕΥΣ	VII	25
ΤΙΜΩΝ	V	26
ΝΕΚΡΙΚΟΙ ΔΙΑΛΟΓΟΙ	X	27.

Scribebam Rostochii mense Decembri a.
CIↃIↃCCCLXXIII.

PROLEGOMENA.

Caput I.
De codicibus Luciani Vaticanis.

Ex quo rescripti codices et ipsae papyri velut Herculanenses et Hyperideae tractari coeptae sunt: certo adparuit hasce jam papyros in tanta praestantia multis vitiis laborare. itaque in arte critica tot pravas lectiones scrutanti caelestis lux rationis tanquam obrussa ubique adhibenda est: siquidem divinatio vere divina longe codicibus praestat omnibus. quae ratio quum in caeteros scriptores cadat, tum in corruptissimo quoque valet plurimum, in quo numero Lucianum esse constat. transeo ad codices, quorum unum olim in Luciano quoque fuerat archetypum: nec tamen ut Aeschyli ut Cornelii Taciti aliorumque ita etiam Luciani codices, qui plurimi exstant, ex uno codice omnes ità fluxerunt, ut pro unius haberi meris possint apographis. ita enim in Praefat. ad Luc. I, 1 p. 13 recte judicavi, id quod Siemonsenius, qui reapse mecum consentit, in Quaestt. Luc. p. 22 mire interpretatus est. nam inter omnes constat familias codicum Lucianeorum duas esse, neque lectorem sat adtentum et bene intelligentem fugere potest ad utram classem singuli jure referantur. at ne sic quidem Siemonsenius laude fraudandus est, qui (in Quaestt. Luc. p. 1—21) ab mea potissimum editione profectus locis additis et consensione monstrata codices plerosque suo cuique generi tam bene adsignaverit. hinc sequitur eum

criticum falli, si quis uni codici ubique emancipatus sit neque cogitarit duo ad minimum codices sibi quaerendos esse, quorum uterque ducere familiam suam videatur. quod ad singulos adtinet, ab illo codice proficiscar, qui et antiquitate omnes superat et virtute vix ulli cedit, Vindobonensi 123 (B) libro membranaceo, qui sub initium saeculi decimi (anno circiter 912) scriptus est, in cujus margine scholia eximia partim legi hodieque possunt. ac Siemonsenius quidem in Quaestt. Luc. p. 7 hunc librum ita judicat excellere, ut ad eum solum quasi normam quandam caeteri omnes exigendi sint. atqui sciebat aliter et nos statuisse et eum, qui hujus codicis partem et ipse conferre coepit, C. Jacobitium et cum G. Dindorfio ipsum J. Bekkerum. quid, quod Jacobitius in Praefat. p. XIII ostenderat alteram hujus libri partem scriptam esse minus adcurate. nam, id quod multi perperam omittere solent, unusquisque codex ante omnia secum ipse comparandus est videndumque illud maxime, num ab initio ad finem totus sibi constet paremque et aetatis notam et lectionum fidem ubique tueatur. quodsi quis vel unum dialogum ‚Δραπέται‘, qui nunc sub finem exstat, consuluerit, hunc codicem videbit sui dissimilem esse et ab sua ipsius virtute degenerasse. contra qui dialogi ab initio hujus qualis nunc est codicis exstant, fide sunt digniores: tametsi hi quoque inter se differunt neque ullus eorum ac ne ‚Prometheus‘ quidem, quem non nego optimis lectionibus refertum esse, tantopere excellit, ut Siemonsenio prorsus liceat adsentiri. ita sane dolendum est, quod a principio libri Lucianei XIX perierunt: quo facto hic scriptor magnam fecit jacturam et inreparabilem. quare iis in libris, qui ab initio leguntur, Vindobonensis B magis audiendus est, quam in eis dialogis, qui nunc sub finem exstant, in quibus alii codices aut pari sunt virtute aut etiam superiore. enimvero Vindobonensis B a principio, in medio libro et in fine turpiter mutilatus nunc vix triginta libros Lucianeos et in his quoque brevissimum quemque complectitur: ex quo ad-

paret parvam tantum et perexiguam Luciani partem in hoc codice servatam esse. hinc rursus emergit, tot in libris Luciani, in quibus Vindobonensis B plane deficit, necessario ad alios codices confugiendum esse, ita tamen ut horum scripturas in corruptis locis ubique cogites minus certas nec tam firmas esse, quam Vindobonensis B ibidem futurae essent, si modo exstarent. nempe critici est, in locis suspectis scepticorum more a pravo, si fieri possit, dignoscere rectum atque id quod verum est, quaerere. quod autem supra dixi, alteram codicum familiam nusquam impune negligi posse, id et ad corruptos locos pertinet et ad mutilatos. et in illis quidem majorem molestiam ei creant loci, qui non fortuito depravati sunt sed male correcti: nam codicem B, qui dolosa correctione non caret, ipsum quoque hic illic interpolatum esse non fugit E. Rohdium (in ‚Indice Philologi' m. Octbr. 1872 Nr. 10 p. 489). ita in D. Mort. I, 3, ubi B quoque conjecturam habet perversam: *πάντα μία ἡμῖν κόνις,* altera alterius familiae interpolatio omnem eximit dubitationem. ibi enim correctores duas codicibus intulerunt conjecturas plane illas quidem diversas, ambas tamen similes literarum ductibus archetypi. in altero genere cavendum est, ne Lucianeus sermo recentium codicum additamentis malis male oneretur, quae a libro B optime absunt omnia, neve qui loci reapse integri sunt, pro mutilis temere habeantur. at vero idem codex B eorum quoque omissionibus, quae haud dubie ab ipso Luciano scripta erant, saepenumero laborat. nonnunquam tamen feliciter cecidit, ut quae verba in illo B male exciderint, eadem in alterius familiae codice praeclare servata sint. longum est complures lacunas antea ne animadversas quidem, quae nunc e codd. ab me certo expletae sunt, hic pertractare satisque erit unum alterumve hujusmodi exemplum posuisse, velut in hoc ipso volumine p. 36 D. D. XII, 2 et p. 81 D. D. XXV, 2 et p. 194 D. Mort. I, 2 fin. sed quoniam et amicus modum in lacunis me tenuisse alicubi negat et

Siemonsenius (Quaestt. L. p. 22), qui multis locis id optimo jure ab me factum esse concedit, tamen ‚interdum temere‘ lacunae signum positum vult: de hoc medelae genere quid mihi videatur, dicam in universum. nullam ego unquam tractavi veterem papyrum (testor Hyperideas et Herculanenses), nullum codicem rescriptum neque graecum neque latinum, ut non in omnibus non nihil temere hic illic omissum fuisse deprehenderem: quod vitiorum genus constat esse in antiquissimis. neque semper haec facultas data est, ut aut verba elapsa codicis ope e fuga retrahas aut certe (id quod saepe accidit) lacunam ipsam et defectum certo codicis signo testimonioque confirmes: quo auxilio destitutis criticis magna sane opus est cautione. attamen ab omnibus codd. ea saltem verba abesse prorsus necesse est, quae jam ex ipso codicum nostrorum archetypo temere exciderint. quocirca ne omnium quidem codicum respectus locos arguere vetat lacunosos, si modo necessitas codicibus obloquatur et reclamet. haec praemisi, ut ad rem ipsam via muniretur. nam Johanne Bessarione paucis annis superior fuit Johannes Aurispa, Siculus, qui et Florentiae literas graecas docuit et Romam evocatus est ab Nicolao V, cui pontifici prima Vaticanae bibliothecae institutio debetur. sed Johannem Aurispam pro certo creditur primum effecisse, ut in Italiam transferrentur integra opera quum plurimorum Graeciae scriptorum tum Luciani Samosatensis: de qua re tirones Schoellium conferant in Hist. Gr. Lit. III p. 534 ed. Pind. ac de iis quidem Luciani codd., qui in aliis Italiae urbibus adservantur ut Florentiae, Urbini, Venetiis hic nihil dicam, sed in eis libris manu scriptis acquiescam, qui mere sunt Romani. de quibus adhuc omnes fere ita mentionem fecerunt, quasi duo codices (87 et 90) soli aut omnino exstent aut in censum possint venire. atqui bibliotheca Vaticana Lucianei codices continentur ad minimum duodecim, qui in indice graeco ita numerati sunt: 73; 76; 86; 87; 947; 1323; 1325; 88; 89;

90; 224; 1322. hos enim in tabulario basilicae Vaticanae codices ad unum omnes servari accepimus. quaeritur, quo jure decem libri Vaticani tam diu contemti jacuerint planeque neglecti. atque etsi parum adhuc constat de his quinque: no. 947; 1323; 1325; 224; 1322, credo tamen hos libros decem omnes Lucianea non habere nisi perpauca. illud plane scio, in hoc numero inesse etiam codicillos admodum recentes, tres dico chartaceos n. 89 saeculi XIV (?), n. 86 et recentissimum n. 88. nam ab hujusmodi codd. nihil sperare licet: quae ratio ut non semper constat, ita tam raro fallit, ut ea omnes vulgo utamur. restant duo libri laudabiles, alter (qui ad ‚Timonem' mihi injussu meo conlatus est) no. 76 codex bombycinus saec. XIV, qui notae melioris est et cum optimis libris saepe consentit, alter membranaceus no. 73. et hi quidem si juris sunt sui, digni videntur qui toti excutiantur; sin e cod. 90 vel 87 descripti sunt, ne ipsi quidem magnam possunt vim habere. quanquam tum quoque libris 73 et 76 utendum erit loco supplementi, ut ubi nobile par 90 et 87 deficiat, hi in manus sumantur. atque hoc ipsum in codice 73 optime jam perfecit Erwinus Rohdius, qui ex eo et scholia optima descripsit et dialogos meretricios excussit: vide Museum Rhenanum vol. XXV a. 1870, ubi vir doctus et acutus p. 548 haec habet: ‚Unter den sehr zahlreichen Lucian-Handschriften der vaticanischen Bibliothek steht, neben dem trefflichen — Vaticanus 90 (saec. XII) der Palatinus 73 in erster Reihe: eine schöne Pergament-Handschrift des 13. Jahrhunderts, die zwar nur einen Theil der Lucianischen Schriften enthält, darunter aber die so interessanten, sonst gerade in den besseren italienischen Handschriften fehlenden Hetärendialoge. Und zwar sind gerade diese Dialoge durch einen besonderen Reichthum nicht unbedeutender Scholien ausgezeichnet'. de decem istis codicibus haec hactenus: quibus si quis aut certiora adtulerit aut laetiora, gaudebo. verum quod ad reliquos duo pertinet, primum

repetere hic nolo, quae de codice 87 verissime scripsit C. B. Hasius in ,Notices et Extraits des manuscr. de la bibl. du Roi vol. IX, T. II, 11 part.' quo in loco hic codex ita ab Hasio descriptus est, ut ei recte multum tribueret. Hasio tamen propositum erat, non ut de Samosatensi ipso scriberet sed de seris Luciani imitatoribus. nam ex hoc ipso cod. ibidem edidit Byzantinae aetatis dialogum ,Τιμαρίων' nomine, adnotatione et indice instructum, quo dialogo frigida quaedam continetur Necyomantiae Lucianeae imitatio (IX p. 128 sqq.). quum autem Hasio de partibus primariis id est Lucianeis tacendum fuerit, haec videntur addenda esse, primum scholia in cod. 87 inesse nulla, deinde quaecunque opera Luciano tribuuntur, ea huic codici omnia inesse exceptis tantum septem hisce: 1) *Ὄνειρος,* 2) *Ῥητόρων διδάσκαλος,* 3) *Μακρόβιοι,* 4) *Περὶ τῆς Συρίας θεοῦ,* 5) *Φιλόπατρις,* 6) *Χαρίδημος* et 7) *Νέρων.* jam quo tempore hic codex Parisios abreptus erat, non solum C. B. Hasius ex eo ,Timarionem' edidit, verum etiam Lucianea omnia bene contulit F. J. Bastius et paucas quasdam lectiones hic illic memoravit, post cujus viri obitum integra conlatio videtur interisse, in Angliam (ut putant) ablata, de qua re vide Schoellium in Hist. Gr. Lit. II p. 499. post Bastium tres tantum libelli Lucianei cum cod. 87 conlati erant, quae lectiones in Tauchnitiana Dindorfi, in Sommerbrodtiana et in mea editione (Voll. I et II) exstant. quo magis curae habui, ut alia quoque Lucianea vir doctus cum cod. 87 bene compararet: quarum conlationum magnam partem (primum X librorum Luciani) dudum accepimus. superest Vaticanus 90, qui primum fortassis ab J. Vossio, certe ab Jo. Massono ap. Reitz. Praef. p. XVIII sq. deinde etiam ab aliis inspectus est. hic codex membranaceus est, saeculi (ut videtur) XI, habet autem LXXIX Luciani et Pseudoluciani libros; desunt novem hi: 1) *Ἑταιρικοὶ διάλογοι,* 2) *Δραπέται,* 3) *Ὑπὲρ τῶν εἰκόνων,* 4) *Νέρων,* 5) *Πατρίδος ἐγκώμιον,* 6) *Περὶ πένθους,* 7) *Ῥητόρων*

διδάσκαλος, 8) Φιλόπατρις et 9) Χαρίδημος. scholia habet plurima, alia recentia, antiqua alia, multa etiam antiquissima. et haec quidem cum scholiis ,codicis Vossiani' (V) ap. Hemsterhusium toties ad verbum paene conveniunt, ut conjicere audeam Vossianum illum codicem hunc ipsum fuisse Vaticanum. multo plures scripturas quam e cod. 87 Bastius ex hoc codice 90 variis locis adtulit. nam hunc quoque integrum ille Parisiis probe excusserat: quae conlatio aut periit aut alicubi (in Anglia fortasse) latet abscondita. post Bastium unius dialogi conlationem Sommerbrodtius et trium aliorum Dindorfius in Tauchnitiana ediderunt. quod ad me adtinet, primum olim ab F. Osanno conlatione ad ,Veras Historias' facta donatus sum non illa tamen integra. totius autem codicis lectionibus potiri discupiebam. tandem virum doctum et adcuratum inveni, qui primum conlationem ad quatuor longos dialogos optime institutam non sine scholiis antiquis ad me transmitteret plura se mox missurum pollicitus. sed quanquam de hujus codicis indole sat multa ad me perscripta sunt, pleraque tamen adhuc silentio malim transire. multa enim nisi ex integra codicis totius conlatione certo perspici nequeunt. ut exemplo utar, ipsius Luciani sermo duas correctorum manus non unius aetatis expertus est. at scire illud laboro, utrum antiquissima manus codicem totum perscripserit et pari scripserit diligentia, an (ut in tam spisso volumine) duo minimum librarii tempore etiam diverso nec fide simili codicem primo exararint. tum vero de codd. 87 et 90 disserenti hoc quaerendum est, uter utri videatur praestare. incertus scriptor Timarionis, qui dialogus in cod. 87 inest, saeculo vixit XIIo, ut ab Hasio aliisque satis demonstratum est. omninoque fieri non potest, ut codex 87 ante saeculum XII vel potius XIIIum scriptus fuerit. quum igitur liber 90 saeculo jam XIo exaratus esse videatur, hic ipse codex alteri anteponendus est, si tamen antiquitatis sequi praejudicium licet. illa quidem una et consentiens vox omnium est, utrum-

que horum codicum auctoritate multum valere. quod etsi verissime dictum esse defendimus, tamen hoc uno omnis res haudquaquam confecta est. in Luciano enim optimi codices, de quorum dignitate dubitat nemo, partim eisdem lectionibus amice conspirant, partim mire depugnant inter se et digladiantur. has res Siemonsenius quoque in Quaestt. Luc. studuit expedire, qui Vaticanis codd. uti nondum potuit. quo magis optandum est, ut optimi quique codices melius etiam et conjungi possint et distingui, sua cuique aetatis nota certo adsignata et mutuo nexu quo inter se cohaereant ubique reperto. ac de Vaticano certe 87 (𝔄), cujus prope unius lectio huic volumini inest non item libri 90 (*Γ*), omnes praevideo mihi fidem habituros esse. sed priusquam certo sciri possit, uter utri Vaticanorum praestare videatur, illud quaerendum est, quaenam ratio inter Vaticacanum sive alterum sive utrumque et inter Vindobonensem B intercedat. Siemonsenius igitur in Quaestt. L. p. 21, qui Vindobonensi B addictus est, quod ego prae caeteris codices BACΨ*) duces elegerim, valde conlauda-

*) Hoc, inquam, ordine: AC, non contrario CA, quorum A Gorlicensis est saec. XIV, C autem ex parte gemellus, Parisinus 8011 saec. XIII. quae enim partes ex aliis plane libris codici C nuper demum temere additae sunt, una membranacea et chartaceae duae admodum recentes, tribus his partibus cum cod. Gorlicensi nulla omnino necessitudo intercedit. ita et Gorlicensis, qui multo plenior est, magna ex parte cum cod. C non cohaeret et in codicis C antiquissima tantum parte, qua bombycinus est, aliquot dialogi, qui etiam in A leguntur, verbotenus ita conveniunt, ut in hac una parte sane illa exigua Gorlicensis A videri possit e Parisino C descriptus esse. quanquam ne in hac quidem parte librum C, qui vix obiter inspectus est, sequi licet, sed duce uti nunc oportet eo qui eximie conlatus est Gorlicensi: vide quae dixi ad Lucianum V. II P. II Praef. p. X. hinc sequitur falso et inepte dictum esse, quod Siemonsenius in Quaestt. L. p. 11 confirmavit: ‚non dubito, inquit, quin Gorlicensis A totus ex Parisino C, qualis nunc est, transcriptus sit‘. videant potius, quibus libri C denuo comparandi copia fiet, num in parte hujus codicis bombycina dialogi quidam Lucianei legantur, qui iidem in Gorlicensi hodie desint.

vit. postea Erwinus Rohde, abs quo de nexu horum codicum et dignitate nuper (in ‚Indice Philologi' m. Octbr. 1872 Nr. 10 p. 489 sq.) melius quam olim (Ueber Lucians *Λούκιος* p. 44) expositum est, codices Lucianeos a duobus archetypi apographis eisque dissimillimis ipse quoque ut par est derivat. priorem autem familiam BACΨ Rohdius nobis concedit alteri in universum praestare: sed idem, ubi ad singulos locos ventum est, de tanta re etiam atque etiam dubitat veritus, ne ego modum excesserim. neque enim priorem familiam repugnante altera sibi videri sine ulla dubitatione probandam, sed permultis in locis, quibus altera manum Luciani sola teneat, certo rejiciendam esse. ita quum altera familiam alteram suppleat, saepe hoc unum relinqui, ut omnibus momentis quadam aurificis statera examinatis modo hanc modo illam electe sequamur. postremo ubi duae duarum lectiones et eae bonitate pares de principatu contendant, tum vero rem omnino non liquere neque veram scripturam a mala correctione discerni posse, quum praesertim his in locis saepe neutra lectio videatur probari posse (in ‚Indice' l. l. p. 489 sqq.). respondeo tantum abesse, ut ego codices BACΨ caeco impetu ubique secutus sim, ut quod fieri Rohdius jubet id ipsum saepe fecerim reposita altera lectione et acriter defensa. neque ullo in scriptore dubium est, quin ubicunque neutra lectio satisfecerit, res redeat ad emendationem. denique vel in eis locis, de quorum scriptura primo obtutu ambigere licet, graecitatis lex, atticismi observatio et usus dicendi in Luciano tam constans saepe ita scrupulum eximunt, ut tum quoque liqueat, quae lectio ad veritatem sit propensior. nihilo minus laudo, quod E. Rohdius codicum ΦΩMF patrocinium suscepit idque factum gaudeo ob codices maxime Vaticanos. ac primum quod ad codicem 90 adtinet, hujus

horum enim dialogorum lectionibus, si modo ulli erunt, tantundem adparet tribuendum esse, quantum auctoritatis Gorlicensi A ab omnibus conceditur.

partem Rohdius ipse ita comparavit, ut et primam manum ubique dispiceret et diligentia pari scrutaretur secundam, de qua (in censura l. l. p. 491) conjecturam protulit ingeniosam. nos quidem manum dicimus primam; alteram nihil hic moramur. ac bene, quod videam, eundem et ad alteram familiam revocavit et primo loco posuit hoc illorum codicum ordine: *ΓΦΩ*MF. illud tamen Rohdio vel minime concedi posse arbitror, quod Vaticanum 87 (𝔄) priori familiae tanquam longe optimum adjudicavit hoc ordine: 𝔄BAC*Ψ* (in censura l. l. p. 489 et p. 491). primum enim libri *Γ*𝔄 toties tam amice inter se consentiunt, ut uni familiae ambo contribuendi sint: deinde codex 𝔄, qui et scholiis antiquis et plerumque altera manu caret, tum paullo recentior esse quam *Γ* videtur tum certe est (uti nunc demum perspicio) aliquanto deterior. testor crebras hujus libri interpolationes, quarum pars tantum in libro *Γ* invenitur. at, dixerit quispiam, *Γ*𝔄 ambo etiam cum priore familia BAC*Ψ* saepe conveniunt. nempe haec res ideo evenit, quod *Γ*𝔄 codices sunt vetusti et in universum boni, denique eo, quod ut quisque codex maxime est antiquus, ita plurimum ex uno illo traxit archetypo. quae quum ita sint, equidem duo illos Vaticanos non ad priorem BAC*Ψ* sed ad alteram classem hoc ordine revoco: *Γ*𝔄*ΦΩ*MF. atque haec vere dicta esse ita in oculos incurret, si aut pro vera scriptura codicum BAC*Ψ* falsa in *Γ*𝔄 vel pro vera in his falsa in illis lectio creberrime inveniatur, aut si nunc in alterutris mala correctio nunc in utrisque disparis plane generis interpolatio saepe reperiatur, aut si, quod gravissimum est, quae verba in BAC*Ψ* male exciderint, eadem in *Γ*𝔄 praeclare servata sint vel si acciderit contrarium. quorum omnium ratio in codice *Γ* haud dubie ab E. Rohdio explorata est, quo teste uti licet oculato (hunc enim ille tam doctus vir codicem *Γ*, non item alterum 𝔄 ipse versavit); in codice altero 𝔄 eadem ratio e variis lectionibus hujusce voluminis dilucide cognosci poterit.

Caput II.
De Luciani Timone.

Timon Atheniensis quamdiu vixerit, e Lysistrata Aristophanis partim intelligi potest, quam fabulam Ol. 92, 1=412 scimus editam esse. nam hoc anno Timonem jam mortuum fuisse, e Lysistr. v. 808—820 certo sequitur, quam rem Bergkius De Comoed. Antiq. p. 371 non videtur animadvertisse. veruntamen non multo ante Ol. 92, 1 Timonem decessisse indiciis patet haud ambiguis. sed mulierum osorem fuisse Timonem Aristophanes ibidem v. 820 negat, neque aliter Lucianus sentit in Timone § 12 med. immo propterea in solitudinem abisse Timon v. 815 sqq. dicitur, quod odio habuerit ‚viros improbos'. post Aristophanem demum multi dixerunt amicorum ingratorum injuriis Timonem obfensum secessisse. ceterum Aristophanis carmen v. 781—828 et strophicum est et vero amoebaeum. et in antistrophis quidem cum magna numerorum aequalitate saepe conjuncta est etiam verborum sonique ipsius mira quaedam similitudo. in amoebaeis vero ad hanc soni convenientiam et verborum eorundem repetitionem accedere debet sententiarum summa prope aequalitas, cujus haec erat lex sancita, ut qui cantor responderet, simillimis sententiis multo majore cum vi demonstratis superare alterum et vincere studeret. in hunc censum quum alia veniunt, tum haec carmina, Aristoph. Ran. v. 221—267, Horat. Carm. III, 9, multa denique bucolica Theocriti, Vergili, Calpurni. in Lysistratae igitur carmine amoebaeo senum chorus ab v. 781 Melanionem dicit singulari quodam mulierum odio incensum fuisse. at matronarum chorus in antistropho ab v. 805, ut acceptam rem cumulatiore mensura reddat, Timonem ostendit in solitudine viros improbos internecino odio persecutum atque adeo exsecrari solitum fuisse, quum quidem mulieres eidem Timoni essent in amoribus. sed ut ad singula transeam,

in Lysistr. 785 libri sic: *οὕτως ἦν νεανίσκος Μελανίων τις, ὅς —,* in antistrophico autem v. 809, *Τίμων τις* (*τίς* Aug.) *ἦν ἀΐδρυτος* (*ἀΰδρυτος* Junt.) Rav., Aug., Junt., A, B, sed *Τίμων ἦν τις ἀΐδρυτος Δ,* Vossianus cum Suida (s. *Ἀπορρῶγας*). qua Suidae lectione probata Hermannus (El. D. Metr. p. 512) in strophico v. 785 audacter conjiciebat: *οὕτως ἦν ποτε νέος Μελανίων τις, ὅς —.* ego Bentlejum secutus non strophicum sed solum antistr. v. 809 correxi scripsique: *Τίμων ἦν ἀΐδρυτός τις —.* hic autem idem atque etiam plus dicendum est, quam in stropha v. 786. itaque vel propterea v. 809 *ἀΐδρυτος* esse debebit ‚homo vagus et solitarius' (heimathlos), prorsus ut ‚exilium' *ἀΐδρυτον κακόν* adpellatum est ab Cratino Hesychii sub his ipsis vocibus. omninoque de significatione verbi *ἀνίδρυτος* Taylorus Reiskiusque ad Demosth. T. IV p. 348 ed. Schaef. bene judicarunt. tum v. 810 sq. libri: *τὸ πρόσωπον περιειργμένος, Ἐρινύων ἀπορρώξ. οὗτος οὖν ὁ Τίμων,* quae omnia Hermannus ita in integrum restituit: *τὰ πρόσωπα περιειργμένος, Ἐρινύος ἀπορρώξ. οὗτος ἄρ' ὁ Τίμων —.* deinde libri v. 812 sqq. sic: *οὗτος οὖν ὁ τίμων ᾤχεθ' ὑπὸ μίσους* (*ὑπομίσους* Junt.) *πολλὰ καταρασάμενος* (*κατηρασάμενος* Rav. Aug. Junt.) *ἀνδράσι* (*ἀνδράσιν* Juntina sola) *πονηροῖς.* at quum in stropha v. 789 sqq. non duo sed tres versiculi continuentur hujus formae: ‒́ ⏑⏑⏑ ‒‒, sequitur in antistropho unum hujus generis versum excidisse. dubitant autem primum quo loco hic versus exciderit, deinde quibus verbis fuerit conceptus. et Hermannus quidem in El. D. M. p. 512 invitus commisit, ut lacunae signa ante versum *οὗτος ἄρ' ὁ Τίμων* poneret, quum antea de eadem re ipse melius judicasset. immo id solum quaeri potest, utrum post hunc versum 812 aliquid exciderit, an post proximum 813: *ᾤχεθ' ὑπὸ μίσους.* Meinekius autem nuper: *οὗτος ἄρ' ὁ Τίμων | [εἰς ἀγρὸν ἔρημον] ᾤχεθ' ὑπὸ μίσους* ne metro quidem favente conjecit infeliciter sane. ita Theocriti editor aut non vidit hic sibi rem esse cum

carmine amoebaeo, aut quid lex horum carminum poscat, nihil pensi habŭit. nam in stropha v. 786—792 Melanio dictus erat in deserta secessisse, in montibus venatus esse et semper ibidem habitasse, ita ut quo erat mulierum odio, domum nunquam reverteretur. atqui in Timonem, ex quo primum urbe Athenis caruit, prorsus idem cadere quum aliunde tum e Lucian. Timone § 42 sqq. notissimum est. hoccine in antistropho plane omitti potuisse neque quidquam de Timone nisi haec dicta esse, *ᾤχεθ' ὑπὸ μίσους?* quasi non licuerit, si quando odii plenus abierat, eidem mox Athenas postliminio reverti. olim autem anonymus unus pluresve apud Bisetum ita locum suppleri voluit: *ᾤχεθ' ὑπὸ μίσους, | [κοὐκέτι κατῆλθεν] πολλά* —, quam divinationem Hermanno juveni De Metris p. 368 soli probavit. ac bene anonymus post vérba *ὑπὸ μίσους* versum inseruit, bene etiam id quod elapsum est, ex ipsa stropha suppletum voluit. sed male idem verba *ὑπὸ μίσους* et *οὐκέτι κατῆλθε* separavit et divellit, quae arcte in stropha cohaerent v. 792: *κοὐκέτι κατῆλθε πάλιν οἴκαδ' ὑπὸ μίσους.* ergo manet, Aristophanem ita potius scripsisse, ut jam olim correxi: *ᾤχεθ', ὑπὸ μίσους [τ' οὐκέτι κατῆλθεν,] πολλά* —. restat v. 818: *οὕτω κεῖνος ὑμῶν ἀντεμίσει,* ubi Dobraeus *ὑμᾶς ἀντεμίσει,* Bergkius *ἡμῖν ἀντεμίσει,* Meinekius *ὑμῖν ἀντεμίσει* conjecerunt. laudo, quod *ὑμῶν* viderunt mendosum esse, magis laudo Bergkium, qui sententiam quoque adsecutus sit: tametsi *ἡμῖν* in lingua graeca nunquam denotat *ἡμῖν ὁμοίως,* ut ipse voluit. ego quum vidissem ob leges carminis amoebaei hoc loco idem dicendum esse, quod in stropha exstat v. 795: *κεῖνος ἡμεῖς τ' οὐδὲν ἧττον,* jam olim ita emendavi: *οὕτω κεῖνος ἡμῶν ἀντ' ἐμίσει* et contuli Jl. *ω,* 254. adeo, inquit, ille pariter ac nos odio semper habebat viros improbos. cujus conjecturae eo minus poenitet, quod ita legisse suspicor scholiastam Rav., qui ita: *ὡσεὶ ἡμεῖς ὑμᾶς.* quae quum ita sint, partem priorem carminis amoebaei ita maxime corrigendam esse arbitror:

στρ.

ΧΟ. ΓΕ. *Μῦθον βούλομαι λέξαι τιν' ὑμῖν, ὅν ποτ' ἤκουσ'*
αὐτὸς ἔτι παῖς ὤν.
οὕτως ἦν νεανίσκος Μελανίων τις, ὃς
φεύγων γάμον ἀφίκετ' ἐς ἐρημίαν,
κἀν τοῖς ὄρεσιν ᾤκει·
κᾆτ' ἐλαγοθήρει
πλεξάμενος ἄρκυς
καὶ κύνα τιν' εἶχεν,
κοὐκέτι κατῆλθε πάλιν οἴκαδ' ὑπὸ μίσους.
οὕτω τὰς γυναῖκας ἐβδελύχθη
κεῖνος, ἡμεῖς τ' οὐδὲν ἧττον
τοῦ Μελανίωνος οἱ σώφρονες.

ἀντιστρ.

ΧΟ. ΓΥ. *κἀγὼ βούλομαι μῦθόν τιν' ὑμῖν ἀντιλέξαι*
τῷ Μελανίωνι.
Τίμων ἦν ἀΐδρυτός τις ἀβάτοισιν ἐν
σκώλοισι τὰ πρόσωπα περιειργμένος,
Ἐρινύος ἀπορρώξ.
οὗτος ἄρ' ὁ Τίμων
ᾤχεθ', ὑπὸ μίσους [τ'
οὐκέτι κατῆλθεν,]
πολλὰ καταρασάμενος ἀνδράσι πονηροῖς.
οὕτω κεῖνος ἡμῶν ἀντ' ἐμίσει
τοὺς πονηροὺς ἄνδρας ἀεί,
ταῖσι δὲ γυναιξὶν ἦν φίλτατος.

Praeterea ad res hujus viri inlustrandas ex aliis comicorum versibus nonnihil proficitur, ex Aristophane ipso in Avibus v. 1549, Phrynicho in Caelibe et Moroso in Bekkeri Anecd. p. 344, 33, e pluribus Platonis comici locis apud Plutarchum in Antonio c. 70 init., quos non adtulit ille quidem, veruntamen legisse se testatus est: ut Antiphanis ap. Athen. VII p. 309, d fabulam ,*Τίμων*' nomine hic praeteream, de qua mox dicetur. quibus comicorum testimoniis Plutarchus in Antonio c. 70 ad

aetatem quoque Timonis sive adumbrandam sive definiendam usus est his verbis: *γέγονεν (ὁ Τίμων) ἡλικίᾳ μάλιστα κατὰ τὸν Πελοποννησιακὸν πόλεμον,* quae ita demum vera sunt, si ad priores annos belli hujusce referuntur. ac bene Plutarchus ipse in Antonio c. 70 init. et in Alcibiade c. 16 fin. cum Timone Alcibiadem ita conjungit ut cum viro qui aetate longe provectior fuerit, adolescentem. deinde ad nostrum Timonem Bergkius in meis Quaestt. Aristoph. p. 321 jure revocavit haec Lysiae verba ap. Suidan s. *'Εσχηματισμένος — ὡς παρὰ Λυσίᾳ ἐν τῷ πρὸς Τίμωνα· ,οἱ δ' ἀλαζονεύονται μὲν Τίμωνι παραπλησίως, καὶ ἐσχηματισμένοι περιέρχονται, ὥσπερ οὗτος',* quae quum aut mortuo jam Timone aut certe absente et in solitudinem abdito scripta sint, ad illud *ὥσπερ οὗτος* tacito addendum est *περιῆλθεν.* at quomodo fieri potuit, ut oratio in Timonem sive mortuum haberetur sive longe Athenis remotum? ac tamen Bergkium neque l. l. p. 321, neque postea De Comoed. Antiq. p. 371 de Lysiae oratione in nostrum Timonem habita dubitasse invenio. huic Bergkii conjecturae H. Sauppius in Fragm. Orat. Att. p. 205 fidem facere dicit verba a Suida commemorata: quasi omnes libri, in quibus Timonis hominum osoris mentio fit, in hunc unum Timonem toti scripti fuerint. multo prudentius idem Sauppius, V. Cl., adjicit, ,tempora non videri obstare'. Lysias enim natus est Ol. 80, 2=459, Timon autem paullo ante Ol. 92, 1=412 (circa Ol. 91, 3 sive 414) est mortuus. ita res ejusmodi est, ut sane tempora non viderentur obstare, si Timon ad mortem usque Athenis mansisset. nunc autem quum multos annos abfuerit neque litibus absens implicari facile potuerit, tempora ipsa Bergkii conjecturae omnino obstare videntur. hinc ego olim in Suida correxeram: *ὡ. π. Λυσίᾳ ἐν τῷ πρὸς Τιμωνίδην· οἱ δ' —,* librarios ratus pro *Τιμωνίδην* scripsisse *Τίμωνα* proximo dativo *Τίμωνι* deceptos. cujus emendationis fidejussore ipso tum Suida usus sum s. v. *Διάθεσις — καὶ Λυσίας ἐν τῷ πρὸς*

Τιμωνίδην· ‚*πῶς δ' ἂν — γυναικὶ πεισθείς*‘. nunc quoque dubitari posse nego quin prior ille Lysiae locus ap. Suidan s. *'Εσχηματισμένος* item e Lysiae oratione in Timonidem depromtus sit. at debuit Suidas *πρὸς Τιμωνίδην* scribere, vere opinor non ita scripsit. praestat enim Suidae suum sibi errorem *ἐν τῷ πρὸς Τίμωνα* relinquere. vel in his Timonis rebus Suidas magni stuporis documentum edidit. qui quum in Aristoph. Avv. 1549 legisset *Τίμων καθαρός* i. e. ‚purus putus Timon‘ (ut Antiphanes in Bekk. Anecd. p. 105, 5 dixit *καθαρὸς δοῦλος*, quod Meinekius in Fragm. Com. III. p. 6 bene interpretatur): Suidas non intellecto Aristophane ita scripsit, *Τίμων: ὄνομα κύριον, ὁ μισάνθρωπος καλούμενος. ἦν δὲ καθαρός*. hunc Suidae stuporem ab T. Hemsterhusio et R. Porsono tam bene castigatum quis vel verbis obtegat vel mala conjectura tollat, nisi qui forte *καθαρὸς Σουίδας* videri velit? enimvero illud plane in oculos incurrit, Timonidem Timonis hominum osoris filium nullo modo fuisse. verissime enim jam Sauppius in Fragm. Oratt. Att. p. 205 nescire se professus est, unde Bergkius (De Com. Antiq. p. 371 not.) et Scheibius (in Jahn. annal. vol. 31 p. 381) resciverint Timonidem eum, in quem Lysiae oratio habita est, filium fuisse Timonis hominum osoris*). sed quum Athenienses victi essent et belli malis ad incitas paene redacti, factum est, ut nonnulli (et ut opinor pauperrimus quisque) Timonis victum cultumque vel inviti sequerentur: in quos ipsos Lysias (ap. Suidan s. *'Εσχηματισμένος*) vir dives acerbe invehitur. quin etiam antea bello adhuc saeviente talem Timonis imitatorem Ol. 91,

*) Quum tamen fratres, patres filiique Athenis saepe nomina invenerint ad originem inter se simillima, veluti *Τίμων, Τίμαρχος, Τίμανδρος*, vel sic probabile est, Timonidem fratrem nostri Timonis sane fuisse. ceterum neque de hac re neque de filio Timonis nostri Timonide quidquam traditum est. quum autem meretricibus deditus Timon fuerit neque unquam uxorem duxerit: necesse est filium si quem habuit spurium fuisse.

3=414 in scaenam Phrynichus produxerat, cujus versus servati sunt in Lexico Sangerm. ap. Ruhnkenium ad Hom. Hymn. Cer. v. 200 sive in Bekk. Anecd. p. 344, 29: "Ἄδουλος βίος ἐρεῖς, τουτέστιν ὁ μὴ δοῦλον ἔχων. ἐρεῖς δὲ καὶ ἀδιάλεκτος βίος καὶ ἀγέλαστος βίος καὶ ἄγαμος βίος. Φρύνιχος ἐν Μονοτρόπῳ· ,ὄνομα δέ μοὔστι Μονότροπος. ζῶ δὲ Τίμωνος (codex τίμωνον) βίον, ἄγαμον, ἄζυγον, ὀξύθυμον, ἀπρόσοδον, ἀγέλαστον, ἀδιάλεκτον, ἰδιογνώμονα‘. quae e Phrynichi Adparatu Soph. fluxerunt, ubi hodie non supersunt, nisi haec ap. Bekker. p. 25, 10: ἀπρόσοδος βίος: ᾧ οὐδεὶς πρόσεισιν, ἀλλ' ἔρημος et p. 25, 14: Ἄδουλος βίος: ὁ μὴ δουλεύοντα ἔχων. hos igitur versus cum Bergkio partim ita equidem scribo suppleoque:

⏑ – ⏑ – ὄνομα δέ μοὐστὶ Μονότροπος,
ἄζυγος, [ἔρημος·] ζῶ δὲ Τίμωνος βίον,
ἄγαμον, ἄδουλον, ὀξύθυμον, ἀπρόσοδον,
ἀγέλαστον, ἀδιάλεκτον, ἰδιογνώμονα.

V. 2 ἄζυγος quod hic reposui, codex non hic habet sed post ἄγαμον et habet accusativum ἄζυγον. pro ἔρημος, quo codex caret, suppleri potest etiam: ἄλεκτρος. poeta suum Μονότροπος totius nomen fabulae optime inlustrat per ἄζυγος [ἄλεκτρος]. tenendum est enim, v. μονότροπος ab atticis eximie usurpari de caelibe et moroso. tu inprimis vide de hac re Plutarchum in Pelopida c. 3 et Pollucem III, 47. et hac de causa primo loco ex epithetis septem ἄγαμον positum est: ζῶ δὲ Τίμωνος βίον, ἄγαμον —. V. 3 codex ut supra dixi exhibet ἄγαμον ἄζυγον. sed ἄγαμον, ἄδουλον eximia restitutio est primum Bergkii in meis Quaestt. Aristoph. p. 321 et postea demum Hermanni ad Eurip. Andromach. v. 580, quem unum auctorem nominavit Meinekius in Fragm. Com. V. II P. I p. 588. et Bergkium quidem vix leniter vitupero, qui etsi non debebat postea De Comoed. Antiq. p. 372 certam correctionem suam ἄγαμον, ἄδουλον improbare, vidit tamen vocem ἄζυγον Phrynicho ipsi eripi non posse, magis vitupero

Hermannum Meinekiumque, qui v. ἄζυγον ausi sint delere. at, inquit, inutile est illud ἄζυγον post ἄγαμον. audio: at num idcirco vocem vere atticam eamque in codice servatam et mediis verbis Phrynichi ipsius insertam temere licebit expungere et eradicare? ceterum de voce ἄδουλος Lobeckius in Aglaoph. p. 1037 adnot. [47] optime exposuit. denique cavendum est, ne quis forte superioribus verbis Phrynichi comici: ζῶ δὲ Τίμωνος βίον ἄγαμον repugnare credat haec Aristophanea de eodem Timone: ταῖσι δὲ γυναιξὶν ἦν φίλτατος, in Lysistr. v. 820. nam sicuti Lucianus in Timone testatur, Timon deditus fuerat meretricibus, quae res in utriusque comici locos juxta convenit. sed imitari Timonem quatuor saeculis post ipsum coepit etiam Marcus Antonius triumvir, quum ab amicis desertus esset. at quomodo tum se ipse vinceret, qui ne Octavianum quidem vicisset? quomodo Timonis victum tenuem perferret aut a Cleopatra diu secubaret? itaque cito falsus iste Timon in aulam receptus omni genere libidinum, ut solebat, volutatus est. illa autem Timonis personati incepta Plutarchus in Antonio c. 69 et c. 71 descripsit lepidissime: quae ne quis forte nimis aucta vel prorsus ficta existimet, Plutarchus (ut ibid. c. 28 ipse testatur) ab avo suo, teste oculato acceperat. adde quod cum Plutarcho etiam Strabo XVII, 1, 9 p. 794 partim consentit. de ipso autem Timone Neanthes Cyzicenus multa tradidisse videtur, e quibus pauca tantum ab schol. ad Arist. Lysistr. v. 808 sive ab Suida s. Τίμων et (ubi ante Kusterum Εὐάνθης legebatur, sed codd. recte: Νεάνθης) s. Ἀπορρῶγας servata sunt. primo autem Timonem tradidit, quum de piro silvestri decidisset atque inde claudicaret neque medicos admitteret, putredine absumtum fuisse. deinde addit Neanthes terram in qua sepulcrum Timonis erat, mari, velut insulam, undique circumfusam esse, ut omnes jam mortales hujus sepulcri aditu intercluderentur. Καὶ μετὰ τὴν τελευτὴν αὐτοῦ, inquit, τὸν τάφον ἄβατον γενέσθαι ὑπὸ θαλάττης πε-

ῥιῤῥαγέντα, ἐν ὁδῷ τῇ ἐκ Πειραιῶς εἰς Ζωστῆρα καὶ Σούνιον φερούσῃ. quae ne quis e moribus Timonis ficta et fabulis proxima esse dicat, Plutarchus eadem prodidit in Antonio c. 70 his verbis: τελευτήσαντος δ' αὐτοῦ καὶ ταφέντος Ἁλῆσι παρὰ τὴν θάλατταν ὤλισθε τὰ προὔχοντα τοῦ αἰγιαλοῦ· καὶ τὸ κῦμα περιελθὸν ἄβατον καὶ ἀπροσπέλαστον ἀνθρώπῳ πεποίηκε (scr. ἐποίησε) τὸν τάφον. at, dixerit quispiam, non solum haec ipsa sed quaecunque ibi c. 70 de Timone dixit, Plutarchus ex uno omnia hausit Neanthe. enimvero Plutarchus duo adtulit etiam epigrammata, quibus perraro utuntur historici. et idem ut Antonium simiam ridet, ita Timonem ipsum vult reprehendi signis ingenii generi humano infesti denudatis: at Neanthes historicus irae causas et studii debebat procul habere. tamen quum et superiora illa apud Neanthen et Plutarchum eodem fere modo legantur et quum Neanthe auctore Plutarchus in Themistocle c. 1 palam usus sit: facile concedo quaecunque de sepulcro Timonis supra adscripsi, ex uno omnia Neanthe repeti potuisse. at sic quoque videri potest ad Timonis sepulcrum mari circumdatum Antonius Plutarchi adlusisse c. 69 fin. et inprimis c. 71 init. (τὴν ἔναλον, inquit, ἐκείνην δίαιταν, ἣν Τιμώνειον ὠνόμαζεν). denique ut primarium auctorem exstare Neanthen largiar, res tamen esse potest verissima. facile enim fieri potuit, ut mari sepulchrum postea cingeretur propterea quod locus sepulturae in ipso litore situs erat: de qua re cum Neanthis verbis hisce: ἐν ὁδῷ τῇ ἐκ Πειραιῶς εἰς Ζωστῆρα καὶ Σούνιον φερούσῃ Plutarchus l. l. ita consentit, ut pagum quoque nominaverit: ταφέντος, inquit, Ἁλῆσι παρὰ τὴν θάλατταν. aliis verbis atque Neanthes locum descripsit Stephanus Byz. s. Ἁλαί p. 67: ἔστι δὲ ὁ δῆμος — μεταξὺ Φηγέως τοῦ πρὸς Μαραθῶνι καὶ Βραυρῶνος, αἱ δ' Αἰξωνίδες ἐγγὺς τοῦ ἄστεος. ergo Halas Plutarchus dicit non Aexonidas Cecropidis tribus, sed alteras i. e. Halas Araphenides tribus Aegeidis, ad quam tribum pagus Timoni nostro patrius, Collytus

item pertinebat. ita Timon Collytensis in vicino ejusdem tribus pago, Halis consenuit ibique sepultus est. ac de situ hujus sepulchri etiam Lucianus in Timone historiae vestigiis inhaeret, quo auctore § 6 et § 30 Timon agrum coluit ‚ἐσχατιάν‘, quae vox quum ab Homero tum ab atticis dici solet de agro ad mare sito, ut Hemsterhusius ad Timon. 30 (T. I p. 143) ostendit. deinde maris litori vicinum hunc agellum fuisse ex § 56 conligitur, neque § 7 init. repugnat. quid, quod ibid. § 42 Timon denunciat operam se daturum, ut eo ipso in agello sepeliatur: *αὐτὸς δὲ ἤδη πᾶσαν πριάμενος τὴν ἐσχατιὰν — τὸν αὐτὸν καὶ τάφον ἀποθανὼν ἕξειν μοι δοκῶ.* quanquam Lucianus historiae fidem partim sequitur, partim idem videtur deserere, qui l. l. ita post *τὴν ἐσχατιάν* pergat: *πυργίον οἰκοδομησάμενος ὑπὲρ τοῦ θησαυροῦ, μόνῳ ἐμοὶ ἱκανὸν ἐνδιαιτᾶσθαι, τὸν αὐτὸν* (immo: *τὸ αὐτὸ*) *καὶ τάφον ἀ. ἕ. μ. δοκῶ.* nam de minuta ista Timonis turricula et ea litori proxima historiae mutae sunt. immo alta fuit turris Timonis (teste Aristophane in Ranis v. 130), sita illa quidem in vicinia Academiae sive in Ceramico exteriore, de qua re ad Ar. Ranas p. 82 exposui. quam turrim haud dubie priore tempore Timon extruxerat, quum dives esset necdum solitudini se mandasset, sed aut Athenis ipsis aut certe in suburbio habitaret. sed Pausanias in situ hujus turris describendo teneri non potuit, quin in mores Timonis eadem opera acrius inveheretur, I, 30, 4: *κατὰ τοῦτο τῆς χώρας* (i. e. non procul ab Academia) *φαίνεται πύργος Τίμωνος, ὃς μόνος εἶδε μηδένα τρόπον εὐδαίμονα εἶναι γενέσθαι, πλὴν τοὺς ἄλλους φεύγοντα ἀνθρώπους.* *) sed quum sepulcrum Timonis ab terra

*) Ingente temporum incuria factum est, ut quidam hunc Timonem inter Platonis philosophi discipulos referrent, velut Olympiodorus Vit. Plat. p. 4, 18 ed. Cob. *μόνῳ τῷ Πλάτωνι ἐνταῦθα* (*ἐν τῇ Ἀκαδημίᾳ*) *Τίμων ὁ μισάνθρωπος συνῆν*, et Incertus Vit. Plat. ibid. p. 8, 1: *συνεστήσατο* (*ὁ Πλάτων*) *διδασκαλεῖον πλησίον τοῦ καταγωγίου Τίμωνος τοῦ μισανθρώπου, ὃς — πάνυ εὐμενῶς*

avulsum esset, res in religionem venire potuit, quod ne ossa quidem mortui odium vivi posuisse viderentur. etsi autem nulla ejusmodi scriptio ad nos pervenit, tamen haec solitudo sepulchri quum poetis materiem praebere potuit tum magis etiam rhetoribus. videbantur enim dii hunc hominem punivisse, ad cujus sepulchrum ipsi aditum omnibus praeclusissent: ut Timonis ossa velut ex rerum natura dicerentur sublata et erepta. nam quid tam est commune civibus, quam funus mortuis, terra humatis, tumulus sepultis? quin etiam poeta aliquis cecinisse videtur Timonem (ut Tantalum scilicet) aeterna apud inferos supplicia luere. certe poetas quoque Lucianus in Veris Historiis ridet, in quibus II § 31 init. Timon janitor fuisse perhibetur in insula impiorum. tum novem epigrammata novimus h. e. sepulchri titulos, quibus omnibus Timon ut osor hominum derisus est, nusquam tamen ut sepulchrum a terra abscissum dicatur, cui famae Julianus in Anthol. Pal. VII, 577 non obscure

---

ἤνεγκε τὴν τοῦ Πλάτωνος συνουσίαν. ecce tibi cum ipso mendacio mendacii fontem. revera enim Plato in Academia scholam constituit prope altam turrim, quae multo ante Platonis aetatem Timonis fuerat adhuc divitis, non constituit prope Timonis jam pauperis gurgustium (*καταγώγιον* sive *ἐσχατιάν*). nempe in errore versantur, qui de hoc Timone loqui audent quasi de philosopho, inprimisque Stobaeus Flor. X, 54 (I p. 239 M.): *Τίμων ὁ μισάνθρωπος στοιχεῖα ἔφη τῶν κακῶν εἶναι ἀπληστίαν καὶ φιλοδοξίαν* et Plinius in Nat. Hist. VII, 19 § 80. ceterum Plinius et Stobaeus Timonem Atheniensem manifesto confuderunt cum Timone Phliasio, philosopho sceptico sive Pyrroneo. itaque duplici modo hic erratum est. alii, ut Olympiodorus, turri Timonis quae vicina erat Academiae decepti Timonem nostrum pro philosopho venditarunt Academico sive Platonico; alii, ut Plinius quum ad Timonem Phliasium aberrassent, pro philosopho Pyrroneo. huic duplici errori eo facilius indormire licuit, quod et Academici philosophi et Pyrronei ambo fuerunt sceptici. sed Hemsterhusius ad Lucian. I p. 352 Lehm. ut jure indignatur, quod philosophis adcensere Timonem Atheniensem antiqui scriptores non erubuerint, ita causam tanti erroris vir summus ne quaerere quidem curat, nedum indagare.

repugnat*). reliqua octo de Timone epigrammata in eadem Anthol. Pal. VII, 313—320 exstant et duo ex his etiam in Plutarchi Antonio c. 70. quorum antiquissimum poetae fuit incerti, quem nonnulli Plutarcho teste ipsum fuisse Timonem somniabant, epigramma luculentum:

*Ἐνθάδ' ἀποῤῥήξας**) ψυχὴν βαρυδαίμονα κεῖμαι·*
τοὔνομα δ' οὐ πεύσεσθε, κακοὶ δὲ κακῶς ἀπόλοισθε,

quod ipsum Ptolemaeus in Anthol. Pal. VII, 314 disticho uno imitatur eoque frigidissimo. sed hic nihil dicam nisi de uno Callimacho, qui duo in Timonem epigrammata scripserat (Anthol. Pal. VII, 317 sqq.). quorum alterum l. l. est hocce:

Τίμων (οὐ γὰρ ἔτ' ἐσσὶ) τί τοι, φάος ἢ σκότος, ἐχθρόν;
,τὸ σκότος· ὑμέων γὰρ πλείονες εἰν ἀΐδῃ'.

plura verba alter locus requirit, qui sic se habet in Anthol. Pal. VII, 318.

ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ (i. e. *Καλλιμάχου*).

Μὴ χαίρειν εἴπῃς με, κακὸν κέαρ, ἀλλὰ πάρελθε·
ἶσον ἐμοὶ χαίρειν ἐστὶ τὸ μὴ σὲ γελᾶν.

319. *ΑΔΗΛΟΝ.*

Καὶ νέκυς ὢν Τίμων ἄγριος· σὺ δέ γ' ὦ πυλαωρὲ
Πλούτωνος τάρβει, Κέρβερε, μή σε δάκῃ.

320. *ΗΓΗΣΙΠΠΟΥ.*

Ὀξεῖαι πάντῃ περὶ τὸν τάφον εἰσὶν ἄκανθαι
καὶ σκόλοπες· βλάψεις τοὺς πόδας, ἢν προσίῃς.
Τίμων μισάνθρωπος ἐνοικέω· ἀλλὰ πάρελθε,
οἰμώζειν εἴπας πολλά, πάρελθε μόνον.

primum Hegesippi duo disticha nihil inter se commune habere Prosper. Petroni statuit, quem Jacobsius p. 293 falli putabat ductus fortasse versuum secundi et tertii verbis extremis. at priori disticho verba v. 4: *οἰμώζειν*

*) Similia de aliorum sepulcris, qui diis invisi fuerint, narrantur, velut de Cycno ap. Hesiod. in Scut. Herc. v. 477 sq. hinc de Neanthis memoria dubitationi locus relictus videtur.

**) De locutione *ἀποῤῥῆξαι βίον* in quolibet genere violentae mortis usitata vide Blomfieldum in Glossar. ad Aesch. Persas v. 518.

εἴπας πολλά certo repugnant. absurdum est enim Timoni v. 2 recte monenti hospitem v. 4 non gratias agere sed diras imprecari. sequitur hinc, alterum Hegesippi ipsius distichon intercidisse versusque duo *Τίμων — μόνον* ut alius epigrammatis finem in cod. Palatino aliena sede locatos ideoque transponendos esse. sed hi versus, ut viciniam totam circumspicias, nullo reponi alio loco possunt nisi quatuor versibus ante, i. e. post pentametrum qui ab v. *ἶσον* incipit. quo facto integrum Callimachi epigramma restitutum est in hunc modum:

Μὴ χαίρειν εἴπῃς με, κακὸν κέαρ, ἀλλὰ πάρελθε·
ἶσον ἐμοὶ χαίρειν κἄστι τὸ μή σε γελᾶν.
Τίμων μισάνθρωπος ἐνοικέω· ἀλλὰ πάρελθε,
οἰμώζειν εἴπας πολλά, πάρελθε μόνον.

sic demum (ut de pulchra anaphora v. 1 et 3 *ἀλλὰ πάρελθε* taceam) recte, ut in oppositione, ab initio locata sunt et v. *χαίρειν* v. 1 et v. 4 *οἰμώζειν*. sententia enim huc redit: *μὴ χαίρειν εἴπῃς με, ἀλλ' οἰμώζειν· πάρελθε μόνον.* adhuc equidem alteram epigrammatis partem Callimacho vindicavi, cod. Palatino haud nimis adversante, sola tamen fretus conjectura. enimvero accedit Plutarchi in Antonio c. 70 auctoritas, qui alii epigrammati in Timonem scripto haec addit: *τὸ δὲ περιφερόμενον Καλλιμάχειόν ἐστι·*

Τίμων μισάνθρωπος ἐνοικέω· ἀλλὰ πάρελθε
οἰμώζειν εἴπας πολλά, πάρελθε μόνον.

at Jacobsius ad Anthol. Pal. p. 293 Hegesippi haec esse ratus eum, qui tanquam Callimachea adferat, Plutarchum l. l. conjicit memoria deceptum esse, et Jacobsio Meinekius ad Callimach. p. 118 ita adsentit ut hoc distichon inter dubia Callimachi epigrammata et incerta receperit. qua in re duumviros egregios nihil tribuisse miror huic locutioni: *τὸ περιφερόμενον*, i. e. ‚quod tritum est et decantatum'. quomodo enim memoria fallere Plutarchum in eo epigrammate potuit, quod tum in omnium ore esset? tamen hi duumviri in eo certe aliquid secuti videntur, quod cum Anthologia Pal. quatuor

versus Hegesippo quam e Plutarchi loco duos tantum Callimacho dari maluerunt. neque enim unico disticho, quod Plutarchus habet, integrum epigramma inesse potest, idcirco quod jam verba *οἰμώζειν εἴπας πολλά* nimis inepta sunt. itaque priores Callimachi editores p. 276 ed. Ern. unum hoc distichon: *Τίμων — μόνον* quasi integrum epigramma e Plutarcho adponere non debebant. sed hoc eo factum est, quod distichon, *μὴ χαίρειν — γελᾶν* olim incerto poetae cum hoc lemmate *ΑΔΗΛΟΝ* male tributum erat. contendo igitur, non uno sed duobus distichis hoc Callimachi epigramma contineri, in quo de scriptura versus secundi adhuc dubitatur. nam quum in codicis scriptura *ἐστὶ τὸ μὴ σὲ γελᾶν* verborum structura nulla sit, cum Hauptio et ad Callim. p. 90 Meinekio pro *ἐστί* scribendum est *κἄστι*, qua vocis *καί* collocatione uti Callimachus solet. quod autem Graefius, Jacobsius Meinekiusque, ut verbum cum prioribus *ἀλλὰ πάρελθε* connexum ne deesset, *πελᾶν* pro *γελᾶν* scribi voluerunt, id in unius distichi carmine non indignum laude videri posset: sed nunc, ubi integrum epigramma emersit, idem non probandum esse patet, egregio illo verbi *γελᾶν* acumine temere sublato. nam pro verbo *οἰμώζειν* Graecos etiam *μὴ γελᾶν* dixisse liquet ex Antiphane ap. Athen. VI, p. 225, f (v. 6): *τὸν μὲν γελᾶν, τὸν δ' ἕτερον οἰμώζειν μακρά* locisque similibus. itaque secundo versui nihil aliud inest nisi hoc: *οἰμώζειν σοι λέγω,* quae jam alterae dirae sunt post primas v. 1: *κακὸν κέαρ.* lepide vero Timon, quasi diris satiari nequeat, v. 4 etiam novas adjicit, quas sibimet ipsi reddi jubet, imprecationes. ac diris quidem, quibus ipse Timon non abstinuerat sed delectatus erat (Arist. Lysistr. 815 *ὁ Τίμων — πολλὰ καταρασάμενος —*), ne alii quidem carent tituli de Timone in Anthol. Pal. VII, 313, 314, 316. sed in uno epigrammate ternae dirae hominum duorum vel invitis nobis in mentem revocant quum Luciani Timonem dialogum tum Shakespearii Timonem, drama jurgiis plenissimum neque

vacuum imprecationibus. in Luciano quidem advenas Timon sic primum adfatus § 34 init: *τίνες ἐστὲ ὦ κατάρατοι; — ἀλλ' οὐ χαίροντες ἄπιτε —. καὶ ὑμεῖς οἰμώξεσθε ἤδη —*, mox ita pergit § 37: *ἐμοὶ δὲ τοῦτο ἱκανόν, ἢν πάντας ἀνθρώπους ἡβηδὸν οἰμώζειν ποιήσω.* postremo cum nostra Callimachei loci restitutione conferre juvat Shakespearii titulum minus illum quidem aculeatum, caeteroqui non dissimilem, quem partim suo ingenio auctum diffinxit partim adsumsit e Callimacho ap. Plutarchum, (Timon of Athens V, 5, 70)

„Here lies a wretched corse of wretched soul bereft:
Seek not my name. A plague consume you wicked
caitiffs left!
Here lie J Timon; who, alive, all living men did hate:
Pass by, and curse thy fill; but pass, and stay
not here thy gait."

sed ut ad Plutarchum revertar, qui in Antonio c. 70 alia addidit digna memoratu, Apemantus homo simillimis moribus unus omnium exstitit, quem Timon aliquando ad conspectum suum admitteret et coenae quoque adhiberet, ita tamen ut eum ipsum manifesto gravaretur. idem in concione Atheniensium rarissime ad dicendum prodiit, semel tamen orationem habuit solo dignam Timone, quae a Plutarcho l. l. his verbis refertur: *"Εστι μοι μικρὸν οἰκόπεδον, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, καὶ συκῆ τις ἐν αὐτῷ πέφυκεν, ἐξ ἧς ἤδη συχνοὶ τῶν πολιτῶν ἀπήγξαντο. μέλλων οὖν οἰκοδομεῖν τὸν τόπον ἐβουλήθην δημοσίᾳ προειπεῖν, ἵν' ἢν ἄρα τινὲς ἐθέλωσιν ὑμῶν πρὶν ἐκκοπῆναι τὴν συκῆν ἀπάγξωνται.* et hac ipsa Timonis oratione praeclare usus est Shakespearius l. l. V, 2 fin., ut idem paullo ante persona utitur Apemanti, quem hominum osorem cum osore Timone inducit rixantes. ceterum quae de Timone, Echecratidis f., Collytensi supra scripsi, eis addi nonnulla poterunt ex observationibus Hemsterhusi ad Luc. Timon. c. 1 (T. I, p. 351 sqq. ed. Lehm.). velut optime Hemsterhusius dissentit ab Acrone (T. II p. 10 ed. Hauth.), qui Horati locum in

Serm. I, 1, 64 male retulit ad Timonem Atheniensem, ‚qui odium generi humano indixit‘. minus recte tamen Hemsterhusius de Diogenis L. loco IX, 12, § 112: ὁ δ' οὖν φιλόσοφος — οἱ δὲ φεύγοντες, καθάπερ καὶ ὁ Τίμων judicasse videtur, quae omnia vere cadere voluerit potius in Timonem Atheniensem hominum osorem. at ego nihil hic quidem Diogenem errasse arbitror, sed haec omnia in Timonem Phliasium optime convenire. denique seriores de Timone hominum osore haud pauca temere et falso scripserunt, cujusmodi mendacium supra ex Olympiodoro adtuli. alia non omnino vera sed valde suspecta sunt. velut Ausonius in Idyll. XV 34 Timonem Athenis, quod nullas amicitias coluisset, dicit lapidatum esse. contra apud Lucianum in Timone extremo Timon et amicitias sancte coluisse dicitur et alios ipse ultro petit lapidibus. itaque Ausonius vere facta opinatur, quae ficta ab rhetore fuisse ad fidem pronius est. in superioribus locis maximeque in Plutarcheis Timonem vidimus satis acerbe reprehendi. sed Plutarchus pauca de multis dicta esse ipse in Antonio c. 71 fatetur: ταῦτα μὲν περὶ Τίμωνος, inquit, ἀπὸ πολλῶν ὀλίγα. ergo ea potissimum a Plutarcho adparet omissa esse, quibus laude honoreque adfici Timon visus esset. verum haec ipsa necessaria sunt ad Luciani dialogum ‚Τίμων ἢ μισάνθρωπος‘ bene explicandum, quo toto Timon magnis laudibus celebratur. tacuit autem Plutarchus de Antiphanis comoedia ‚Τίμων‘, quae (uti recte Meinekius in Hist. Com. p. 327) ab hominum osore nomen acceperat: quam fabulam conlatis titulis Mnesimachi et Menandri ‚Δύσκολος‘ ego conjicio non injuria aliter inscribi potuisse ‚Δύσκολος γαμῶν‘, quum nuptiali coenae hic versus testimonio sit ap. Athen. VII p. 309, d: Ἀντιφάνης δ' ἐν Τίμωνι — ‚ἥκω πολυτελῶς ἀγοράσας εἰς τοὺς γάμους‘. ita juvenis prisco Timoni simillimi tristities videtur derisa fuisse. quod igitur Meinekius l. l. p. 328 Antiphanis ‚Timonem‘ ab Luciano in ‚Timone‘ expressam esse voluit, concedi

nequit, praesertim quum Lucianus, adsiduus ille et veteris et novae, non item mediae comoediae lector Alexidem semel, nusquam autem Antiphanem vel Eubulum commemorarit. jam Plinius in Nat. Hist. VII, 19 § 80 animi tranquillitatem et eundem semper vultum exire posse dicit in rigorem torvitatemque naturae, quales in Graecia multos fuisse, ‚quodque mirum sit, inquit, auctores maxume sapientiae, Diogenem cynicum, Pyrronem, Heraclitum, Timonem, hunc quidem etiam in totius odium generis humani evectum‘. neque hoc uno loco hic Timon in philosophorum chorum male receptus est, Platonicus ille scilicet, ut Olympiodorus somniavit. sed Graecorum philosophi Timonis personam ita jactarant ut alienam, quorum pedisequus Cicero in Disp. Tusc. IV, 12 § 25 exagitavit ‚odium in hominum universum genus, quod accepimus de Timone‘. ita quum ne philosophorum quidem legere vestigia licuerit, alios scriptores adhuc frustra quaerimus, quos duces sequi Lucianus potuerit. inprimis autem, id quod et Lucianus ipse et Shakespearius praeclare viderunt, Timone opus fuit longe alio viro, qui majore jure videretur laudandus esse. quare Lucianus, qui ipse diu rhetor fuerat, rhetoras vel maxime secutus est, ne hos quidem omnes sed a quibus Timonem vidisset celebratum esse. tradit autem Lucianus dialogo prope toto Timonem olim virum bonum fuisse et aptum amicis, postea tamen in odium generis humani ideo incidisse, quod ingratissimo animo amicorum suorum maxime offensus fuerit. hinc Luciano in § 55 fin. pro inepto *χρηστὸς ὢν* restitui: *ἀχάριστος ὢν* et contuli § 48 init: *δίκαια πέπονθεν οὗτος, ἀχάριστος ὤν.* et de hac quidem re Lucianus alios quoque, qui non essent rhetores, testari partim poterat, Aristophanem in Lysistr. 817: *ἐμίσει τοὺς πονηροὺς ἄνδρας ἀεί,* Photium CIVta Epist.: *ὁ μὲν οὖν παλαιὸς ἐκεῖνος Τίμων μοχθηρίαις ἀτόποις ἀνθρώπων περιτυχὼν ἔδοξε* —, Epist. Socrat. XXIV (sive in edit. Platonis T. VI p. 66 Herm.): *Τίμων οὐκ ἦν ἄρα μισάνθρωπος, μὴ εὑρίσκων μέντοι*

ἀνθρώπους οὐκ ἠδύνατο θηρία φιλεῖν, et vel magis Plutarchum eundem in Antonio c. 69: *φυγὰς ἀνθρώπων — τὸν Τίμωνος ἀγαπᾶν καὶ ζηλοῦν βίον ἔφασκεν ὡς δὴ πεπονθὼς ὅμοια· καὶ γὰρ αὐτὸς ἀδικηθεὶς ὑπὸ φίλων καὶ ἀχαριστηθεὶς διὰ τοῦτο πᾶσιν ἀνθρώποις ἀπιστεῖν καὶ δυσχεραίνειν.* sed in eo ipso rhetores quoque plane consentiunt, ut patet e Menandro in Rhetor. Gr. IX p. 260 ed. W: *οἷος γὰρ ἦν ἄρα μεγαλοφρονῶν ἐπὶ φίλοις ἐγώ, οἷον δὲ τεῖχος ἐδόκουν περιβεβλῆσθαι τὸν φίλον. νῦν δὲ γεγύμνωμαι καὶ περιῄρημαι καθάπερ Αἴας τῆς ἀσπίδος· οἰκήσω τόπους ἐρήμους καὶ ἐρημίας μισάνθρωπος ἐπικληθεὶς ὥσπερ Τίμωνά φασιν· τί γάρ μοι συντίθεσθαι φιλίαν, ἵνα πάλιν παραβαίνοντος ἀνιαθῶ; μακαρίζω τῶν θηρίων ἐκεῖνα, ὅσα τὸν μονήρη βίον ἔοικεν ἀγαπᾶν.* itaque salva res est: vulgaris enim Timon nimis acriter vituperatus est etiam ab Cicerone De Amicitia c. 23*), sed Lucianeus Timon amicitiae fidem coluit sanctissime. at, quaerat quispiam, ecquis auctor est, ante Lucianum rhetores et eos Timonis laudatores de hoc viro multa scripsisse? auctore uti licet praeter Menandrum rhetorem etiam Libanio ejusque hac declamatione (T. IV p. 181 sqq. ed. Reisk.): *Τίμων ἐρῶν Ἀλκιβιάδου ἑαυτὸν προσαγγέλλει.* cujus quidem libelli ipsum initium hocce: *Πάλιν ὑμῖν Τίμων εἰς βουλευτήριον***) — docere potest rhetores de hoc Timone multa saepenumero declamasse. quodsi duobus saeculis post in tanta graecorum rhetorum vel paucitate vel infantia declamationes de Timone nondum deferbuerant: certe Luciani aetate florentibus rhetorum studiis plures etiam Timon invenerat, vel qui eum reprehenderent vel

*) ,Quin etiam, inquit, si quis ea asperitate est et immanitate naturae, congressus ut hominum fugiat atque oderit, qualem fuisse Athenis Timonem nescio quem accepimus: tamen is pati non possit, ut non anquirat aliquem, apud quem evomat virus acerbitatis suae.' adluditur ad Apemantum.

**) Ita Juvenalis adludens ad Sat. I, 27 incipit IV, 1: ,ecce iterum Crispinus —'. similiter Horatius in Epist. I, 1, 3.

qui rhetorice laudarent. neque solum *μελέτας* de Timone Lucianus legerat, sed etiam *ἠθοποιΐας* ejusdem argumenti rhetoricas, quas quidem ibidem bis ipse expressit. de *ἠθοποιΐας* arte artisque praeceptis vide Hermogenem in Rhet. Gr. I p. 44 sq. et Longinum ibid. IX p. 545 W. exempla autem plurima hujusmodi *ἠθοποιΐας* dedit Libanius T. IV p. 1009—1046 ed. Reisk. et postea p. 1096—1099. prior enim, quam dialogo Lucianus inclusit, *ἠθοποιΐα* haec est:

Τίνας ἂν εἴποι λόγους Τίμων πένης ὤν;
(in Timone § 1 init. — § 6 fin.),

altera est hujusmodi:

Τίνας ἂν εἴποι λόγους Τίμων ὁ μισάνθρωπος ἀχαριστηθεὶς ὑπὸ τῶν φίλων καὶ αὖθις πλουτήσας;
(in Timone § 41 init. — 45 fin.).

denique laudationes Timonis rhetoricas exstitisse vel ex eo patet, quod ab rhetoribus non solum *ψόγοι* sed etiam *ἐγκώμια* scribi solebant vario successu. nam encomiographos graecos vituperat Artemidorus in Oneir. I, 56 med. eosdemque solito acrius castigat et inridet Marcus Antoninus apud Frontonem p. 54 ed. Rom. rhetori sane Lucianus declamationes novitias imitandas esse negat ideoque in Rhet. Praec. § 17 fin. juveni ironice hoc suadet: noli inquit, Isocratem, Demosthenem, Platonem legere, ‚*ἀλλὰ τοὺς τῶν ὀλίγον πρὸ ἡμῶν λόγους καὶ ἅς φασι ταύτας μελέτας, ὡς ἔχῃς ἀπ' ἐκείνων ἐπισιτισάμενος ἐν καιρῷ καταχρήσασθαι καθάπερ ἐκ ταμιείου προαιρῶν*'. at hic quidem de oratione tantum et genere scripturae sermo est, non item de argumento (*ὑποθέσει*), quam rem nunc agimus. has igitur declamatiunculas ipse prius legerat juvenis et declamator, ut similia diceret vel meliora. in Timone vero ne nova moliendo ridendum se daret laesaque historia Timonis personam corrumperet, rhetorum auxilio carere non potuit, a quibus traditos et vulgo jam credi coeptos laudabiles et satis bonos Timonis mores religiose servavit. nam si tragici vel fabulosis in rebus ut in formando Achille aut Oreste

famam secuti erant: quanto magis id fieri necesse erat in historia eaque tam nota omnibus? ita profecto ab rhetoribus suis in Timone Lucianus partim videtur pendere. nam declamationibus, morum descriptionibus et encomiis ita usus est, ut ipse dialogum actore primarum Timone effingeret, ut deorum ministeria more suo adhiberet, verbo ut rhetoricum opus in justam saturam converteret. una tamen res, thesauri inventio § 41 non omittenda videtur, quam primus fortasse commentus est. optime enim Hemsterhusius ad Timonem c. 1 (I. p. 353 Lehm.): ‚de insperata, inquit, thesauri inventione neminem habet auctorem, vel saltem nullum inveni, id qui memoriae mandarit'. cave Hemsterhusio opponas Tzetzen Chil. VII, 279, qui totum de Timone locum (v. 273—286) e solo Luciani dialogo mutuatus est, ut legenti patebit. sed thesauro invento plane opus fuit ad servandam dialogi oeconomiam, de qua re ita sentio. rhetores etsi ornare multimodis Timonem studuerant, totum tamen ne hi quidem mutarant sed ita ausi erant laudare, ut in sene Timone mira asperitas naturae et quaedam immanitas tamen perluceret. ita Luciano verendum erat, ne spe sua excideret, si longum dialogum scripsisset hominesque ab legendo deterreret. sed nunc, ubi thesaurus inventus est, qui per se cum Timone non cohaeret et mira quadam arte cum eodem copulatur, legentis animus ab Timone ad gratum auri adspectum avocatus magna voluptate perfunditur. inprimis vero teneamus, nihil loci fuisse gravissimis personis Pluti et Peniae, nisi novus thesaurus reperiri posset. adde, quod (ut ipse § 45 docet) falsi amici ne poenas quidem dedissent, nisi thesaurus inventus esset. omnino autem duo loci inprimis tractantur vere satirici, quorum alter est ‚de amicitia fortiter tuenda': qua in parte Timon certus amicus laudatur, parasiti autem ejus puniuntur. alter vero locus, qui longior est priore et ab solo Luciano ad Timonem refertur, unice pertinet ‚ad divitias contemnendas'. et hunc quidem locum Solanus cum Aristo-

phanis ‚Pluto‘ conferri jussit itemque Hemsterhusius (T. I p. 351 L.), quo judice praecipuum dialogi argumentum indidem desumtum est. ex quo ipso elucet, hunc locum de divitiis non necessario ad Timonem spectare. nam quum comicus duplicem scripserit ‚*Πλοῦτον*‘, priorem qui periit et alterum qui aetatem tulit: in superstite comoedia, quam Lucianus solam imitatur, ne nomen quidem usquam exstat Timonis. at Lucianus duas personas, *Πλοῦτον* et *Πενίαν* et omnino magnam dialogi sui partem ex Aristoph. Pluto v. 415—620 repetiit, ita tamen ut haec quoque omnia cum Timone aliquo modo copularet et consentanea huic personae ipse tribueret. ac ‚Timonem‘ in optimis Luciani operibus numerandum esse inter omnes constat, quem dialogum ad luculenta scriptorum graecorum monumenta referre non dubito. tanta enim arte elaboratus est, ut non solum duo loci de amicitia et de divitiis, verum etiam duo tempora, antiquum Timonis et Lucianeum egregie conjungantur. quum enim satirici sit suam ipsius aetatem reprehendere, non omnia ad Timonis aevum sive ad initium belli Peloponnesii sed complura ad Lucianeum, ut persona Thrasyclis philosophi unice pertinent. quae tamen tam callide obtecta sunt, ut tot saeculorum intervalla ne sentiat quidem, nisi qui summopere adtenderit. magis vero nostro dialogo oblectabitur, qui cum eo contulerit Libanii quam supra dixi declamationem: *Τίμων ἐρῶν Ἀλκιβιάδου ἑαυτὸν προσαγγέλλει* (IV p. 181—198). fundus hujus declamationis est Plutarchi, qui eandem rem in Antonio c. 70 init. tetigit, alius locus in Alcibiade c. 16 fin., ubi Timon ad Alcibiadem: *εὖ γε ποιεῖς αὐξόμενος, ὦ παῖ· μέγα γὰρ αὔξῃ κακὸν ἅπασι τούτοις*, quae eadem fere aliis verbis repetit Libanius p. 196: *ἀντὶ σκηπτοῦ τινος καὶ λοιμοῦ καὶ θείας προσβολῆς ὤφθητι τῷ τῶν ἀνθρώπων γένει· δύνασαι δὲ ἀρκέσαι πρὸς τὴν Τίμωνος ἐπιθυμίαν.* sed Libanius quum Alcibiadem sciret ineunte adolescentia amatum esse a multis: id quod Plutarchus in Antonio

c. 70 recte scripserat: ,*Ἀλκιβιάδην — ἐφίλει προθύμως*', hoc ille plane mutavit mireque finxit etiam ab Timone Alcibiadem nequissime amatum esse. at enim Libanio obstat Timonis odium virorum (Aristoph. Lysistr. v. 819), obstat ejusdem amor mulierum (Aristoph. ibid. v. 820), denique obstant Timonis amores meretricii (Lucian. Timone § 12): ut jam satis certum sit a mascula Venere Timonem penitus abstinuisse. quid igitur adtinebat novam Timoni adspergere infamiam ejusque crimina crimine augere quum ementitio tum per se tam foedo atque adeo hoc mendacium in longa declamatione tam multis verbis exsequi? quare Libanius, quem alioqui rhetorem minime contemno, hic tamen meras excogitavit nugas mallemque mutus fuisset quam talia de Timone unquam elocutus esset. qui si comicum argumentum quaesivit, salva temporum ratione apte eligere verbi causa hoc potuit: *Τίμων ἐρῶν Ἀσπασίας* —; sin tragice declamare maluit, corrigere illud potuit, quod IV p. 1096 minus recte commentus est: *τίνας ἂν εἴποι λόγους εὐνοῦχος ἐρῶν;* et corrigere in eum modum, quem Fortunatianus in Rhetor. Lat. Min. p. 96 ed. Halm. praeivit: ,eunuchus amat, reddit causas voluntariae mortis'. nam id certe praestat Libanii invento. ceterum declamationem istam: *Τίμων ἐρῶν Ἀλκιβιάδου ἑαυτὸν προσαγγέλλει* nuper tetigit Binder: Ueber Timon den Misanthropen (Ulmae, 1856) p. 13 sq. qui tametsi excusare rhetorem acute conatus est, tamen sic quoque Libanium sensit hic quidem in multas magnasque reprehensiones incurrisse. sed quod ad Luciani dialogum adtinet, de quo Binder p. 14 sqq. loquitur, primus ac solus Binder p. 15 excogitavit ne haec quidem verba in Timone § 7, § 44 et § 50: *Τίμων Ἐχεκρατίδου Κολλυτεύς* fidem mereri, in quibus verbis historiae fides plane servata est*). omnino autem Binder uti Shake-

*) Nescivit Binder ab Alciphrone in Epist. III, 34 et a Tzetze in Chil. VII, 129 (v. 1) idem traditum esse.

spearium ubique magnis laudibus extulit, ita idem (p. 21 infra) egregium Luciani dialogum inepte solus reprehendit neque cogitavit, saturam comoediae similem esse debere non item tragoediae Shakespearianae, ut ne hoc quidem animadvertisse videatur Lucianum satiricum fuisse, poetam non fuisse. itaque Lucianus modo castigatur p. 15 sq., quod longe aliter atque Hegelius philosophus divitum ingenium describere ausus sit, modo idem p. 17 laudatur, quod parasitos tam fortiter exploserit. majore laude ea digna sunt, quae p. 18 sqq. de Shakespearii ‚Timone' disputavit, a quo poeta virus Timonis in Apemantum ita judicat transfusum esse, ut ipse Lucianeum potius Timonem et eum magis correctum effingeret. hic igitur Ulricium Binder ubique vituperat, Gervinum autem p. 20 justa laude prosequitur. deinde quaerit, satisne Shakespearii Timon sibi constet, qui ex amico osor generis humani evaserit (p. 21 sq.). quod ad alias personas pertinet, Alcibiades patiens ille vocari Timonis ultor quum exilio multatus jam in eo esset, ut manu comparata senatui populoque id est patriae bellum inferret: seditione interim Athenis exorta sine ulla dimicatione postliminio redit, hostes suos jam videt devictos, pacis denique conditiones praescribit. sed de Alcibiadis partibus et quo vinculo cum Timonis actione primaria cohaereant, diu multumque dubitatum est. ac sane reprehendi Shakespearius posset, quod obiter et quasi praeteriens Alcibiadem induxerit, nisi primariae partes manifesto ipsius essent Timonis. nunc satis est et Alcibiadi et vero Timoni Athenis injuriam factam fuisse, ut hoc quidem nemo mirari possit, Alcibiadem poposcisse ut etiam Timonis injuriis satisfieret. quanquam sic quoque miram esse fateor pluribus locis personam Alcibiadis neque cum Timonis partibus primis satis arcte connexam. itaque Alcibiadis persona vix omni caret offensione*). sed de Shakespearii dramate

*) Sic quoque multi hac re nimium videntur offensi esse et iniquius judicasse de Aeschylo redivivo, recentiorum tragicorum

tot eximiis scenis distincto quidnam in universum judicabimus? ac Gervinus quidem (Shakespeare IV, 168) quum de eo dubitari vidisset, hoc egit ut justam esse tragoediam ostenderet probante Bindero p. 25. num igitur periculum erat ne quis hoc drama in comoediam subito transmutaret? immo non illud quaeritur, quod adparet, num sit tragoedia, sed hoc, quod non patet, qualis haecce tragoedia censenda sit. vereor enim ne et ipse Gervinus et l. l. Binder Goethii sententiam (‚den Ausspruch Goethes, der Timon Shakespeares sei nur ein komisches Sujet‘) parum recte adsecuti sint, quam rem Goethius ad primariam personam Timonis ipsius referri voluit. nam Timonis persona quum apud veteres comicos, historicos et epigrammatum scriptores plane est comica, tum etiam in Luciani satura, quam Shakespearius partim secutus est, eadem per se multo magis comica est et satirica, quam ulli apta tragoediae. ita Shakespeario verendum erat, ne forte Lucianum nimis exprimeret ideoque pro vera tragoedia genus comoediae simile atque si novo verbo utendum est, comicotragoediam scripsisse diceretur. quamobrem Luciani Timonem minime totum expressit, sed hanc personam incude nova vel maxime diffinxit eoque summus ille poeta effecit, ut in Shakespearii tragoedia ipsius persona Timonis prae ceteris laudanda sit. itaque haud scio, an Goethii illud dictum minime sit invidiosum. nam mihi quidem Goethius tacito concessisse videtur, ut Timonis persona vere tragica existeret, id unius Shakespearii ingenio admirabili effectum esse.

principe. quorum nullus, ut opinor, cogitavit Shakespearium vel Plutarchi sui auctoritate (ut taceam de Libanio) coactum fuisse Alcibiadem Timonis rebus immiscere.

ΛΟΥΚΙΑΝΟΣ.

ΘΕΩΝ ΔΙΑΛΟΓΟΙ.

Reitz. I p. 204

I.

ΠΡΟΜΗΘΕΩΣ ΚΑΙ ΔΙΟΣ.

1. ΠΡΟΜ. Λῦσόν με, ὦ Ζεῦ· δεινὰ γὰρ ἤδη πέπονθα. ΖΕΥΣ. λύσω σε φῄς, ὃν ἐχρῆν βαρυτέρας

In codicibus, quos ego meos adpellare soleo, inveniuntur, a quibus hi dialogi ad unum omnes absint, primum Augustani (nunc Monacenses) tres O, P, Q, tum etiam is, qui plurimos Luciani libros complectitur, Florentinus meus (Φ). transeo ad eos codices, in quibus hi dialogi plerique omnes vere leguntur in aliis alio ordine, ita ut nullus ordinem servet vulgatae. exordiar autem ab eis libris, quorum lectiones aliorum virorum industria jam magna ex parte innotuerunt, ab Gorlicensi (A) et Guelferbytano priore (F), quos et ego ambos diligentissime excussi et eosdem C. Jacobitius bene comparavit. quod ad codices adtinet Parisinos, horum lectiones ab Carolo Lachmanno philologo Vratislaviensi multis abhinc annis adcuratissime conlatas habui. sunt autem libri quatuor, C (qui numeratur 3011), Δ (2956), M (2954) et L (4028) eosdem libros olim Belin de Ballu contulit ut potuit, qui multa saepe confudit et summis ima permiscuit. restant codices qui antea ab nullo inspecti erant et nunc primum diligenter excussi sunt, Vaticanus n. 87 (𝔄) et duo Marciani n. 436 (Ψ) et n. 434 (Ω). et hos quidem optime contulit J. Sommerbrodtius, cujus vide librum modo editum: ‚Lucianea' p. 7 sqq., de Vaticanis autem ego ipse nuper alio loco disserui. e caeterorum librorum numero inprimis honoris causa nominandus est Vindobonensis n. 123 (B) partim ille ab J. H. Chr. Schubarto partim ab C. Jacobitio conlatus. omnium igitur quos supra dixi codicum signa haec sunt: BAC𝔄ΨΔΩΔMFL. ceterum in ed. Reitziana paucae tantum scripturae reperiuntur, quae quidem non ex edd. vetustis sed ex uno alterove codice velut e Graeviano (V) et Oxoniensi (D) et Poli codice (T) excerptae fuerint, ut plures codd.

πέδας ἔχοντα καὶ τὸν Καύκασον ὅλον ὑπὲρ κεφαλῆς ἐπικείμενον ὑπὸ ἑκκαίδεκα γυπῶν μὴ μόνον κείρεσθαι

---

hic illic inspecti neque ullus eorum bene excussus esse videatur. — Mythi Graecorum, qui ab epicis simpliciter enarrati, a tragicis autem splendide exornati sunt, diu vulgo crediti tantam vim habuerunt, ut homines pie sancteque viverent. verum has fabulas philosophi primum severo judicio adflixerunt, quorum alii hac in re miro mentis acumine alii magno flumine orationis alii nimia ingenii luxurie sibi utendum esse putabant. illi ipsi, qui prope soli philosophi mythos illos defendere solebant, Stoici coacti sunt ad interpretationem confugere allegoricam. itaque pleni libri erant contra ista disserentium philosophorum, qui haec commenta et uti Cicero in Disput. Tuscul. I, 6, 11 adpellat ‚poetarum et pictorum portenta' certatim convincere studebant. jam comici graeci quum ab philosophis plerumque dissiderent, in hoc uno eisdem plane adsensi sunt, quod ipsi quoque de horum mythorum fide derogare consueverunt eosque non sine multis salibus et facetiis deridere. meliore loco quam ipsos philosophos scriptores dixeris fuisse satiricos. nam philosophi in omnes fabulas promiscue invehuntur easque esse docent fide indignas, satirici autem eis certe fabulis parcunt, quarum involucris a vitiorum turpitudine homines sperant deterreri posse. longe vero satirici lusum vicerunt comicorum, qui nihil aliud quam risum excitare studebant neque curabant id quod satiricis vel maxime propositum erat, ut mores hominum emendarent. hi enim scriptores quum sui saeculi corruptos mores et omnem flagitiorum licentiam sibi castiganda suscepissent, eos potissimum mythos explodere soliti sunt, quibus homines non ad pietatem sed ad contemtum religionis excitari viderentur, qui mythi vulgo credi jam pridem desiti essent, denique qui pravissimas opiniones de natura, vita, moribus deorum gentilium foede propagarent. in hunc igitur censum non solum dialogi deorum Lucianei veniunt, sed etiam alia aliorum opera, veluti Juvenalis satura decima tertia. nam Homeridarum hymni omnes (etiam seriores) in ea tempora inciderunt, quibus duodecim deorum potentia adhuc erat firmissima. Callimachii autem hymni multo post scripti sunt, quum Graeci credere jam dediscerent et Jovis majestas vacillaret; denique saturae quas dixi post christianae religionis initia compositae sunt, quum gentilium deorum ludificatio multis vulgo placere coepisset. quod ad hos Luciani dialogos adtinet, nolo nunc quidem ostendere, scriptores christianos jam antiquitus in his dialogis legendis magnam operam posuisse: quae res plura verba desiderat et indaginis est altioris. sed hoc unum nunc demonstrare cona-

*τὸ ἧπαρ, ἀλλὰ καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐξορύττεσθαι, ἀνθ' ὧν τοιαῦθ' ἡμῖν ζῶα, τοὺς ἀνθρώπους, ἔπλασας καὶ τὸ πῦρ ἔκλεψας καὶ γυναῖκας ἐδημιούργησας; ἃ μὲν γὰρ ἐμὲ ἐξηπάτησας ἐν τῇ νομῇ τῶν κρεῶν, ὀστᾶ πιμελῇ κεκαλυμμένα παραθεὶς καὶ τὴν ἀμείνω τῶν μοιρῶν σεαυτῷ φυλάττων, τί χρὴ λέγειν; ΠΡΟΜ. οὐκοῦν ἱκανὴν ἤδη τὴν δίκην ἐκτέτικα τοσοῦτον χρόνον τῷ * Καυκάσῳ προσηλω-* 205

---

bor, e quibusnam fontibus ipse noster satiricus doctrinam suam hausisse videatur. nam Lucianus quum res Graecorum mythicas varie habitas et ab aliis aliter sciret narratas esse: vulgarem famam per manus traditam plerumque secutus est. erat autem horum mythorum judex bene intelligens, quos e poetis Homero maxime et Euripide tragico, ex aliis scriptoribus, denique e veterum artificum operibus probe cognitos habebat. quas fabulas ab mediae comoediae poëtis saepe irrisas esse e Platonio De Comoed. p. 21 ed. Oxon., cui Meinekius in Hist. Com. p 283 sqq. alios adjecit, satis constat, qui poëtae (ut Lucianus) et ipsi vitia atque libidines numinum istorum quasi hominum saepe castigarunt. at noster ut in vetere comoedia Eupolidis, adde etiam in nova Menandri strenue versatus est, ita idem mediae poetas velut Antiphanem raro attigit. Comicos igitur hic partim tantum imitatus est, verbi causa in dial. IX, 1 et fortasse in dial. XXII, 1 et saepius. tamen ex eis, qui hasce fabulas antea riserant, utique habuit quem sequi magis etiam ducem posset, Menippum suum, cujus teste Diogene Laertio VI, 8 inter alia hoc opus exstiterat: ‚*ἐπιστολαὶ κεκομψευμέναι ἀπὸ τοῦ τῶν θεῶν προσώπου*‘.

ΘΕΩΝ ΔΙΑΛΟΓΟΙ] *ΔΙΑΛΟΓΟΙ ΘΕΩΝ ΟΥΡΑΝΙΩΝ Δ.*

I.

1. *ἤδη* om Ω. *ὅλον* om 𝔄. *ἓξ καὶ δέκα* 𝔄. *ἐξορύττεσθαι*] *ὀρύττεσθαι* ΩF. *τοιαῦθ'* (*τοιαῦτα* 𝔄ΩJ) *ἡμῖν* BAC𝔄ΩMJ et v, *ἡμῖν τοιαῦτα* Δ, *τοιαῦτα* (om *ἡμῖν*) F solus. *ζῷα* — *γυναῖκας* om Ω. *τοὺς ἀνθρ.* BAC𝔄ΨΩMΔFJabc, *ἀνθρώπους* (om *τοὺς*) v. *ἔπλασας*] *ἀνέπλασας* M solus, ut est in Prometheo II c. 3, ubi simplex verbum postea c. 11 et c. 14 legitur. *καὶ γυναῖκας* BACΨΩMF, *καὶ τὰς γυναῖκας* 𝔄Δ et v. *νομῇ* BACΨΔF, *διανομῇ* 𝔄ΩM et v. in Prometheo c. 3 et c. 6 de eadem re: *τὴν νομὴν τῶν κρεῶν.* *παραθεὶς* BAC𝔄ΨΩF, *μοι παραθεὶς* ΔM et v. *σαυτῷ φυλάξας* 𝔄. *λέγειν;*] *καὶ λέγειν;* 𝔄 speciose. *οὐκοῦν* libri, non *οὔκουν* ut Poppo et Jacobitius. *οὐκοῦν* est ironice respondentis et concludentis contraria, prorsus ut in Cataplo c. 8 fin., Arist. Plut. v. 929 et alibi. tum latine dicitur ‚ergo‘ (Terent. Hecyr. I, 1, 6).

μένος, τὸν κάκιστα ὀρνέων ἀπολούμενον ἀετὸν τρέφων τῷ ἥπατι. **ΖΕΥΣ.** *οὐδὲ πολλοστημόριον τοῦτο ὧν σε δεῖ παθεῖν.* **ΠΡΟΜ.** *καὶ μὴν οὐκ ἀμισθί με λύσεις, ἀλλά σοι μηνύσω τι, ὦ Ζεῦ, πάνυ ἀναγκαῖον.* 2. **ΖΕΥΣ.** *κατασοφίζῃ με, ὦ Προμηθεῦ.* **ΠΡΟΜ.** *καὶ τί πλέον ἕξω; οὐ γὰρ ἀγνοήσεις αὖθις, ἔνθα ὁ Καύκασός ἐστιν, οὐδ' ἀπορήσεις δεσμῶν, ἤν τι τεχνάζων ἁλίσκωμαι.* **ΖΕΥΣ.** *εἰπὲ πρότερον, ὄντινα μισθὸν ἀποτίσεις ἀναγκαῖον ἡμῖν ὄντα.* **ΠΡΟΜ.** *ἢν εἴπω, ἐφ' ὅ τι βαδίζεις νῦν, ἀξιόπιστος ἔσομαί σοι καὶ περὶ τῶν ὑπολοίπων μαντευόμενος;* **ΖΕΥΣ.** *πῶς γὰρ οὔ;* **ΠΡΟΜ.** *παρὰ τὴν Θέτιν συνεσόμενος αὐτῇ.* **ΖΕΥΣ.** *τουτὶ μὲν ἔγνως· τί δ' οὖν τὸ ἐπὶ τούτῳ; δοκεῖς γὰρ ἀληθές τι ἐρεῖν.* **ΠΡΟΜ.** *μηδέν, ὦ Ζεῦ, κοινωνήσῃς τῇ Νηρηΐδι· ἢν γὰρ αὕτη κυοφορήσῃ ἐκ σοῦ, τὸ τεχθὲν ἴσα ἐργάσεταί σε, οἷα καὶ σὺ ἔδρασας.* **ΖΕΥΣ.** *τοῦτο φῄς, ἐκπεσεῖσθαί*

τοσούτω χρόνω ΑΨ. προσηλωμένος] προσπατταλευθεὶς 𝔄. κάκιστα] κάκιστον 𝔄. ἀετὸν 𝔄F v et fortasse CM, αἰετὸν ΒΑΨΔΩ. πολλοστιμόριον Ψ. δεῖ] ἔδει 𝔄. ἀλλά σοι μηνύσω τι ὦ ζεῦ BACΨF, ἀλλά σοι μηνύσω τι (om ὦ ζεῦ) Δ, ἀλλά σοι μηνύσω (om τι ὦ ζεῦ) Ω, ὦ Ζεῦ, ἀλλά σοι μηνύσω (om τι) vulgo et ubi sec m μηνύσομέν τι M ἀλλά σοι μηνύσω Ζεῦ ἀναγκαῖον πάνυ 𝔄. addi τι jussit Hemsterhusius.

2. Προμηθεῦ; A et edd. vett. ΠΡΟΜ. hic om pr m F et habet ante οὐ γάρ. καὶ τί] τί γὰρ Ω, τί γάρ τοι F. τί (om καὶ) M. ἕξω A. αὖθις om F. οὐδ' CΔ et v, οὐδὲ BA𝔄ΨΩMF. ἤν] ἐάν F. ὄντινα ΩMF et v, οὖν τίνα BAΨ, οἷόν τινα C, τίνα 𝔄Δ. ἢν] ἢν οὖν 𝔄. ἐφ' ὅ τι] ἐφ' ὧτι F, ἐφ' ὅτω ΩM, ἐφ' ὁ, ὅτι J. ἀξιοπιστότερος F. σοι om 𝔄. incerto ductu ὑπολοίμων vel ὑπολοίβων A. μαντευσόμενος F. Θέτιν] Θέτιν ἀπέρχῃ 𝔄, θέτῆν J hic et infra. nulla persona ante τουτὶ in A. τί οὖν τὸ Ω, τί οὖν τὰ F. ἐπὶ τούτῳ] ἐπὶ τούτοις 𝔄, ἐπὶ τοῦτο Ψ. γὰρ ἀληθές τι BAC𝔄ΨΩ, γάρ τι (om ἀληθές) F et p m M, γάρ τι ἀληθὲς Δ et v. κοινωνήσεις Δ. νηρεΐδι BΩ, Νηρεΐδι Jabc. γὰρ αὕτη cum Jacobitio Dindorfius et ita fortasse ΨΩ, libri plerique γὰρ αὐτή. ἢν γὰρ — τὸ τεχθὲν] ἢν γὰρ ὁμιλήσῃς αὐτῇ καὶ κυοφορήσῃ τὸ τεχθέν 𝔄. σε] σοι F. σὺ om ΩF. ἔδρασας BAΨΔ, ἔδρασας τὸν Κρόνον 𝔄CΩMF et v. vaticiniorum exprimitur obscuritas similis aenigmati. alioqui scribendum esset: ἔδρασας τὸν πατέρα. τοῦτο φῄς] recte negat Dindorfius conjectura

με τῆς ἀρχῆς; ΠΡΟΜ. μὴ γένοιτο, ὦ Ζεῦ. πλὴν τοιοῦτό γε ἡ μῖξις αὐτῆς ἀπειλεῖ. ΖΕΥΣ. χαιρέτω τοιγαροῦν ἡ Θέτις· σὲ δὲ ὁ Ἥφαιστος ἐπὶ τούτοις λυσάτω.

II.

ΕΡΩΤΟΣ ΚΑΙ ΔΙΟΣ.

1. *ΕΡΩΣ. Ἀλλ' εἰ καί τι ἥμαρτον, ὦ Ζεῦ, σύγγνωθί μοι· παιδίον γάρ εἰμι καὶ ἔτι ἄφρων. ΖΕΥΣ. σὺ παιδίον, ὦ Ἔρως, ὃς ἀρχαιότερος εἶ πολὺ Ἰαπετοῦ; ἢ διότι μὴ * πώγωνα μηδὲ πολιὰς ἔφυσας, διὰ ταῦτα* 206
καὶ βρέφος ἀξιοῖς νομίζεσθαι γέρων καὶ πανοῦργος ὤν; ΕΡΩΣ. τί δέ σε μέγα ἠδίκησα ὁ γέρων ὡς φῄς, ἐγώ, διότι με καὶ πεδῆσαι διανοῇ; ΖΕΥΣ. σκόπει, ὦ κατάρατε, εἰ μικρά, ὃς ἐμοὶ μὲν οὕτως ἐντρυφᾷς, ὥστε οὐδέν ἐστιν ὃ μὴ πεποίηκάς με, σάτυρον, ταῦρον, χρυσόν, κύκνον, ἀετόν· ἐμοῦ δὲ ὅλως οὐδεμίαν ἥντινα ἐρασθῆναι πεποίηκας, οὐδὲ συνῆκα ἡδὺς γυναικὶ διὰ σὲ γεγενημένος, ἀλλά με δεῖ μαγγανεύειν ἐπ' αὐτὰς καὶ κρύπτειν ἐμαυτόν· αἱ δὲ τὸν μὲν ταῦρον ἢ κύκνον φιλοῦσιν, ἐμὲ δὲ ἢν ἴδωσι, τεθνᾶσιν ὑπὸ τοῦ δέους. 2. *ΕΡΩΣ. εἰκότως·*

---

opus esse Cobeti sui in V. L. p. 224: *τί τοῦτο φῄς;* vide quae diximus ad Prometheum II. c. 2. *τῆς τῆς ἀρχῆς* A. *τοιοῦτό γε* BAΨΩΔ, *τοιοῦτό τι* 𝔄CMF et v. *μῖξις* B et fortasse ΨΩ, *μίξις* A𝔄F et v.

II.

1. *εἰ καί τι*] *εἰ καὶ Ψ, εἰκέτι* a. *καὶ ἔτι ἄφρων* om 𝔄ΩFL. *ὦ Ἔρως* 𝔄ΩCFML et v, *ὁ Ἔρως* BAΨ, quod nihili est. *ὃς ἀρχ. εἶ*] *ἀρχαιότερος εἶ* ΩF, *ἀρχαιότερος ὢν* L. *πολὺ* om 𝔄 solus. *Ἰαπετοῦ* B𝔄ΨΩ, *ἰπετοῦ* A. *τοῦ Ἰαπετοῦ* CMFL et v. *μὴ π. μηδὲ*] *μήτε π. μήτε* 𝔄. *διαταῦτα* BA. *τί δέ σε* 𝔄ΨΩCMFLJ et v, *τί δαί σε* BA. *μέγα* add. BA𝔄CΨΩMFL, om J et edd. ante Schmiederum. *ἠδίκησα* BAΨFJL (ita L) et v, *ἠδίκηκα* 𝔄CΩM speciose. *διανοεῖς* ΩF. *σκόπῃ* L. *εἰ μικρὰ* om ΩFL. *ὃς ἐμοὶ*] *ὡς ἐμοὶ* MFL. *οὐδὲν* BAΨ𝔄FL, *μηδὲν* CΩM et v. *ταῦρον* 𝔄ΩMFL et v, *ἢ ταῦρον* BAΨC. *αἰετὸν* BAΩL. *οὐδεμίαν ἥντινα*] *οὐδεμίαν τινὰ* 𝔄 solus. *οὐδὲ συνῆκα* BACΨ et v, *οὐ γὰρ συνῆκα* L, *οὐδὲ συνῆλθον* 𝔄ΩMF. *γεγενημένος*] *γενόμενος* 𝔄. *ταῦρον ἢ κύκνον* BACΨL et v, *σάτυρον ἢ κύκνον* 𝔄, *κύκνον ἢ ταῦρον* ΩMF. *ἢν*] *ἐὰν* ΩMF. *τεθνάσιν* A (ita A), non item opinor B.

οὐ γὰρ φέρουσιν, ὦ Ζεῦ, θνηταὶ οὖσαι τὴν σὴν πρόσοψιν. ΖΕΥΣ. πῶς οὖν τὸν Ἀπόλλω ὁ Βράγχος καὶ ὁ Ὑάκινθος φιλοῦσιν; ΕΡΩΣ. ἀλλ' ἡ Δάφνη κἀκεῖνον ἔφευγε, καίτοι κομήτην καὶ ἀγένειον ὄντα. εἰ δ' ἐθέλεις ἐπέραστος εἶναι, μὴ ἐπίσειε τὴν αἰγίδα μηδὲ τὸν κεραυνὸν φέρε, ἀλλ' ὡς ἥδιστον ποίει σεαυτόν, ἑκατέρωθεν καθειμένος βοστρύχους, τῇ μίτρᾳ τούτους ἀνειλημμένος, πορφυρίδα
207 ἔχε, ὑποδοῦ χρυσίδας, ὑπ' αὐλῷ καὶ * τυμπάνοις εὔρυθμα βαῖνε, καὶ ὄψει ὅτι πλείους ἀκολουθήσουσί σοι τῶν Διονύσου Μαινάδων. ΖΕΥΣ. ἄπαγε, οὐκ ἂν δεξαίμην ἐπέραστος εἶναι τοιοῦτος γενόμενος. ΕΡΩΣ. οὐκοῦν, ὦ Ζεῦ, μηδὲ ἐρᾶν θέλε· ῥᾴδιον γὰρ τοῦτό γε. ΖΕΥΣ. οὔκ, ἀλλ' ἐρᾶν μέν, ἀπραγμονέστερον δ' αὐτῶν ἐπιτυγχάνειν· ἐπὶ τούτοις ἀφίημί σε.

---

2. *Ζεῦ, θνηταὶ*] *ζεῦ σὺ θνηταὶ* A. *σὴν* add BAC𝔄ΨMFL, om Ω et edd. vett. *πρόσοψιν*] *εἰσιδεῖν* add. 𝔄. *καὶ ὁ Ὑάκινθος*] *καὶ* om Ω. *ὁ Β. κ. ὁ Ὑ. τὸν Ἀπόλλω φιλοῦσι;* L. *ἀλλ' ἡ*] *ἀλλὰ ἡ* BAΨΩM. *ἔφευγε*] *ἔφευγεν* Ψ, *ἔφυγε* ΩF. at de eadem re Parthenius quoque XV, 4 habet *ἔφευγεν*. *καίτοι κομήτην καὶ*] haec om ΩF. *εἰ δ' ἐθέλεις*] *εἰ δὲ θέλεις* ΨΩ. *φέρε*] *φέρῃς* Ψ. *ποίει σεαυτὸν* ACΨ et v, *ποίει σεαυτὸν ἄπολλον* (sic) B, *ποίει σεαυτὸν ἀπαλὸν ὀφθῆναι* 𝔄ΩM, *ποίει σεαυτὸν ἀπαλὸν καὶ καλὸν ὀφθῆναι* L, *ἀπαλὸν ποίει σεαυτὸν καλὸν ὀφθῆναι* F. *ἑκατέρωθεν* BAΨ, *ἑκατέρωθε* CM et v, sed om 𝔄ΩFL (ita L). *καθειμένος* v et (?) C, *καθειμένον* BA𝔄ΨΩMFL (diserte). *τούτους* om 𝔄, pro eo *τουτὶ* L. *ἀνειλημμένος* BACΨL et v, *ἀνειλημμένους* 𝔄F, *ἀνειλημμένους* Ω, *ἀνειλλημμένος* M (ita M). falli puto Cobetum in V. L. p. 83. Jovi per jocum datur ornatus proprius Bacchi, de quo est *μίτρᾳ τὴν κόμην ἀναδεδεμένον* in nostri Baccho c. 2 et in D. D. 18, 1. *ὑποδέρου* 𝔄 (diserte) ΨΩCMF et v, *ὑποδύου* L, *ὑπὸ δύο* BA. hinc Cobetus V. L. p. 83 et Dindorfius attice scribendum esse viderunt: *ὑποδοῦ*, id quod recepi. *πλείους*] *πλεῖον* L. *Διονύσου*] *τοῦ Διονύσου* 𝔄. *ἄπαγε* om F. *οὐκοῦν* ΩMF et v, *τί οὖν* et mrg pr m *γρ. τοίνυν* A, *τί οὖν* etiam BACΨ et apud Belinum L (at apud Lachmannum L *οὐκοῦν*). *ἀλλ' ἐρᾶν*] *ἀλλὰ ἐρᾶν* BA𝔄ΨΩF. *δ' αὐτῶν*] *δὲ αὐτῶν* BA𝔄ΨΩFL. *αὐτῶν* BA𝔄ΨΩCMFL cum Clerico, *αὐτῷ* d, *αὐτοῦ* abc aliaeque edd. ante Schmiederum. *ἐπιτυγχάνειν*] *τυγχάνειν* 𝔄F, quod ego in prima edit. p. 4 et Cobetus in V. L. p. 224 minus bene probavimus. tu vide vel De Morte Peregr. c. 22: *οὐκ εἶχεν ἐπιτυχεῖν τούτου* et Thucyd. III, 3: *ὁλκάδος ἀναγομένης ἐπιτυχών*. *ἐπὶ τούτοις αὐταῖς* BAΨΩF et

III.

ΔΙΟΣ ΚΑΙ ΕΡΜΟΥ.

ΖΕΥΣ. Τὴν τοῦ Ἰνάχου παῖδα τὴν καλὴν οἶσθα, ὦ Ἑρμῆ; *ΕΡΜ.* ναί· τὴν Ἰὼ λέγεις. *ΖΕΥΣ.* οὐκ ἔτι παῖς ἐκείνη ἐστὶν, ἀλλὰ δάμαλις. *ΕΡΜ.* τεράστιον τοῦτο· τῷ τρόπῳ δ' ἐνηλλάγη; *ΖΕΥΣ.* ζηλοτυπήσασα ἡ Ἥρα μετέβαλεν αὐτήν. ἀλλὰ καὶ κακὸν ἄλλο τι δεινὸν ἐπιμεμηχάνηται τῇ κακοδαίμονι· βουκόλον τινὰ πολυόμματον Ἄργον τοὔνομα ἐπέστησεν, ὃς νέμει τὴν δάμαλιν ἄϋπνος ὤν. *ΕΡΜ.* τί οὖν ἡμᾶς χρὴ ποιεῖν; *ΖΕΥΣ.* καταπτά-

---

v et fortasse CML, ἐπὶ τούτοις 𝔄 (diserte), ut ego in prima edit. p. 4 conjeci et meo jure conjeci. fuit dittographia δὲ αὐτῶν ἐπιτυγχάνειν et (vulgari structura) δὲ ἐπιτυγχάνειν αὐτοῖς. quae primum sic juncta erant: δὲ αὐτῶν ἐπιτυγχάνειν αὐτοῖς absurde, unde corrector αὐτοῖς male servavit male transposuit. confer D. D. I, 2 fin. et D. D. XX, 16 fin. profecto igitur αὐτοῖς hic delendum est, ut pro αὐτοῖς frustra conjecerit Seidler αὐτίκα, et cum Seagero Halmioque Dindorfius αὖθις.

III.

Ἰνάχου] Οἰνάχου Ψ. οἶσθα om Ω. ναὶ] νὴ Ω, μὴ MF. post λέγεις; (sic A) nulla persona in AF. οὐκέτι 𝔄AF (ΨΩ) pro οὐκ ἔτι. ἐστὶν om 𝔄ΩM (ita M). *ΕΡΜ.*] *ΖΕΥΣ* F. τεράστιον] μὲν add. 𝔄. τῷ τρόπῳ δ' ἐνηλλάγη;] ὅτῳ τρόπῳ δὲ ἠλλάγη 𝔄. haec verba comparato Soph. Electr. v. 679 in prima edit. p. 68 e poeta dixi depromta probante Seidlero. Lobeckii tamen (in Aglaoph. p. 1231) conjecturam ad Arist. Thesmoph. v. 611 refutavi. *ΖΕΥΣ.*] *ΕΡΜ.* F. μετέβαλλεν Mabc. ἀλλὰ καὶ καινὸν ἄλλο BACΨΔ et v, καὶ νῦν ἄλλο (om ἀλλὰ et om καινὸν) ΩFM (ita M), καὶ νῦν ἄλλο τι ἐπιμεμηχάνηται 𝔄. ego vero dudum correxi: ἀλλὰ καὶ κακὸν ἄλλο. nam δεινὸν κακόν quum alii dixerunt tum Euripides saepenumero. contra barbarum est καινὸν δεινόν sine ullo substantivo. quare in prima edit. p. 4 edidi: ἀλλὰ καὶ νῦν ἄλλο τ. δ. idque quum tacite eodem modo scriberet, Bekker comprobavit, codices antiqui non comprobarunt. ἐπιμεμηχάνωται pr m B. τοὔνομα] ὄνομα ΩMF. ὃς νέμει] ὡς νέμη et mox ἄπνους pro ἄϋπνος 𝔄. ἐς τὴν] εἰς τὴν Ω. Νεμέαν BACMF𝔄 Νέμαιαν Δ, Νέμεαν v. e scholio ad Bis Accus. c. 2 (IV p. 206. J.) scholium quod mutilum hic habet B, ita supple: ἡ Νεμέα τῆς Κορινθίων ἐστὶ γῆς πρὸς τῷ Τρητῷ, οὗ τὸν λέοντα Ἡρακλῆς ἀπέκτεινεν. καθ' ἣν καὶ τὸν ἀγῶνα συγκροτεῖσθαι τῶν

208 μενος ἐς τὴν Νεμέαν (ἐκεῖ δέ που ὁ Ἄργος βουκολεῖ) * ἐκεῖνον μὲν ἀπόκτεινον, τὴν δὲ Ἰὼ διὰ τοῦ πελάγους ἐς τὴν Αἴγυπτον ἀγαγὼν Ἶσιν ποίησον. καὶ τὸ λοιπὸν ἔστω θεὸς τῶν ἐκεῖ καὶ τὸν Νεῖλον ἀναγέτω καὶ τοὺς ἀνέμους ἐπιπεμπέτω καὶ σωζέτω τοὺς πλέοντας.

IV.

ΔΙΟΣ ΚΑΙ ΓΑΝΥΜΗΔΟΥΣ.

1. ΖΕΥΣ. Ἄγε, ὦ Γανύμηδες (ἥκομεν γὰρ ἔνθα
ἐχρῆν) φίλησόν με ἤδη, ὅπως εἰδῇς οὐκέτι ῥάμφος ἀγκύλον
ἔχοντα οὐδ' ὄνυχας ὀξεῖς οὐδὲ πτερά, οἷος ἐφαινόμην
σοι πτηνὸς εἶναι δοκῶν. ΓΑΝ. ἄνθρωπε, οὐκ ἀετὸς
ἄρτι ἦσθα καὶ καταπτάμενος ἥρπασάς με ἀπὸ μέσου
209 τοῦ ποιμνίου; πῶς οὖν τὰ μὲν πτερά * σοι ἐκεῖνα
ἐξερρύηκε, σὺ δ' ἄλλος ἤδη ἀναπέφηνας; ΖΕΥΣ. ἀλλ'
οὔτε ἄνθρωπον ὁρᾷς, ὦ μειράκιον, οὔτε ἀετόν, ὁ δὲ
πάντων βασιλεὺς τῶν θεῶν οὗτός εἰμι πρὸς τὸν καιρὸν
ἀλλάξας ἐμαυτόν. ΓΑΝ. τί φῄς; σὺ γὰρ εἶ ὁ Πὰν ἐκεῖνος;

Νεμέων συμβαίνει σέλινον τὸ βραβεῖον ἔχοντα. adde Eberhardum (Philogelos p. 73), qui non scriberet πρὸ τοῦ Τρητοῦ, si com-
ὁ
pendia πρ τ̃ τρητ̃ recte legisset. που om F. ἐκεῖνον μὲν ἀπόκτεινον 𝔄 et v, ἐκεῖνον ἀπόκτειτον BΨΩΔ (ita Δ) F, ἐκεῖνα, ἀπόκτεινον A. vulgatam tenet etiam Bekker. τὴν Ἰὼ δὲ 𝔄. ἐς τὴν] εἰς τὴν 𝔄ΩF. ἀγαγὼν BAΨΩΔC (ita C) 𝔄MF, ἀπαγαγὼν v. Ἶσιν Jacobitius pro Ἴσιν. τὸ λοιπὸν BA, τολοιπὸν v λοιπὸν 𝔄. τῶν ἐκεῖ BAΨΔ (ita Δ) 𝔄, τοῖς ἐκεῖ ΩF et v, quod et ego in prima ed. p. 5 et Cobetus V. L. p. 224 et Dindorfius praeferebamus. ἀναγέτω] ἀγαγέτω Ω, ἀναγαγέτω ΨF.

IV.

1. ἄγε] εὖγε ΩML. Γαννύμηδες 𝔄Ψ (ambo hic et infra). εἰδῇς] ἴδῃς 𝔄ΨΩF, ἰδῇς ML. ἀγκύλον ἔχοντα B𝔄ΨΔFL, ἀγκύλον με ἔχοντα AΩ et v. οὐδ' ὄν.] οὐκ ὄν. 𝔄, οὐδὲ ὄν. ΩMF. οὐδὲ πτ. ΩMFL d, οὐ πτερὰ BA𝔄ΨΔC et v. οἷος] οἷς 𝔄Δ. ἀετὸς 𝔄ΨΔML et v, αἰετὸς BACΩ. ἀπὸ] ἐκ ΩM. τὰ μὲν] μὲν om L. σοι ἐκεῖνα BAC𝔄Ψ, ἐκεῖνα σοι ΔΩMFL et v. σὺ δ'] σὺ δὲ BA𝔄ΨΩF. ἄλλος] ἄλλως L. ἄνθρωπον ὁρᾷς — αἰετὸν (ἀετὸν 𝔄Ψ) BAC𝔄ΨΔN, ἄνθρωπος ὃν ὁρᾷς — ἀετὸς ΩMF et v. οὗτος om CΔN. σὺ γὰρ εἶ ὁ πὰν (πᾶν C) ἐκεῖνος BA𝔄CΨCΔN, σὺ γὰρ ὁ πὰν ἐκεῖνος εἶ ΩF, σὺ ὦ πὰν ἐκεῖνος εἶ L (ita L), σὺ γὰρ ὁ

εἶτα πῶς σύριγγα οὐκ ἔχεις οὐδὲ κέρατα οὐδὲ λάσιος εἶ τὰ σκέλη; ΖΕΥΣ. μόνον γὰρ ἐκεῖνον ἡγῇ θεόν; ΓΑΝ. ναί· καὶ θύομέν γε αὐτῷ ἐνόρχην τράγον ἐπὶ τὸ σπήλαιον ἄγοντες, ἔνθα ἕστηκε· σὺ δὲ ἀνδραποδιστής τις εἶναί μοι· δοκεῖς. 2. ΖΕΥΣ. εἰπέ μοι, Διὸς δὲ οὐκ ἤκουσας ὄνομα οὐδὲ βωμὸν εἶδες ἐν τῷ Γαργάρῳ, τοῦ ὕοντος καὶ βροντῶντος καὶ ἀστραπὰς ποιοῦντος; ΓΑΝ. σύ, ὦ βέλτιστε, φὴς εἶναι ὁ πρώην καταχέας ἡμῖν τὴν πολλὴν χάλαζαν, ὁ οἰκεῖν ὑπεράνω λεγόμενος, ὁ ποιῶν
τὸν ψόφον, ᾧ * τὸν κριὸν ὁ πατὴρ ἔθυσεν; εἶτα τί 210
ἀδικήσαντά με ἀνήρπασας, ὦ βασιλεῦ τῶν θεῶν; τὰ δὲ πρόβατα ἴσως οἱ λύκοι διαρπάσονται ἤδη, ἐρήμοις ἐπιπεσόντες. ΖΕΥΣ. ἔτι γὰρ μέλει σοι τῶν προβάτων ἀθανάτῳ γεγενημένῳ καὶ ἐνταῦθα συνεσομένῳ μεθ' ἡμῶν; ΓΑΝ. τί λέγεις; οὐ γὰρ κατάξεις με ἤδη ἐς τὴν Ἴδην τήμερον; ΖΕΥΣ. οὐδαμῶς· ἐπεὶ μάτην ἀετὸς ἂν εἴην ἀντὶ θεοῦ γεγενημένος. ΓΑΝ. οὐκοῦν ἐπιζητήσει με

Πὰν ἐκεῖνος; v. θεόν;] θεὸν εἶναι; 𝔄. θύομέν γε] θύομεν γὰρ 𝔄, θύομεν (om γε) L. ἔνορχιν (ἐνόρχιν 𝔄) libri, sed recte ἐνόρχην Cobetus V.L. p. 81. variant ipsi codices in Bis Accus. c. 10. ἕστηκεν J, ἑστήκει ΩM, εἱστήκει FL. τις om 𝔄. μοι om Ψ.

2. Διὸς δὲ] δὲ om L. Γαργάρῳ] Δαρδάνῳ; 𝔄. ΓΑΝ. personam hic om et ponit post ἔθυσεν pr m F. σὺ] σὺ δὲ Ψ. ὁ — καταχέας 𝔄 d, ὁ — κατεγχέας F, ὃς — κατέχεας BA et fortasse ΨΩΔCML et v, quod hodie probo. at in prima edit. p. 6 ὁ — καταχέας probavi ob anaphoram. πρῴην B𝔄, ut ambo semper pro πρώην. ἡμῖν BAΨΩFa et pr m M, ἡμῶν sec m M et v. etiam V et hoc ordine: ἡμῶν καταχέας 𝔄, sed in C ‚ἡμῖν deest', denique ΔL ap. Belinum ἡμῖν, ap. Lachmannum ἡμῶν. ὁ ante οἰκεῖν om 𝔄. ὑπεράνω A𝔄, ὑπὲρ ἄνω BF edd. vett. ἀδικ. με ἀνήρπ.] με ἀδικήσαντα ἀνέσπασας ΩMFL. ὦ βασιλεῦ] ὁ βασιλεὺς ΩFM (ita M). οἱ λύκοι διαρπάσονται BACΔN, διαρπάσονται οἱ λύκοι Ψ, οἱ λύκοι διηρπάσαντο 𝔄FML (diserte) et v, οἱ λύκοι διήρπασαν Ω. ἤδη om Ψ. μέλει] μέλλει Ψ. ἡμῶν] ὑμῶν F. οὐ γὰρ] γὰρ om Ψ. ἐς] εἰς 𝔄. ἀετὸς 𝔄CMF et v, αἰετὸς BAΨΩΔL. ἂν εἴην Δ solus, εἴην plerique libri et v, ἦν 𝔄. vide Timonem c. 58 fin. (bis). post εἴην (sic) ἀντὶ in M ‚reliqua desunt'. πληγὰς ὕστερον] πληγὰς ἐπὶ τούτοις ὕστερον 𝔄. ἐκεῖνος] ἔτι ἐκεῖνος 𝔄, speciose. γὰρ ἤδη] ἤδη om 𝔄L. δ' ἀπάξεις v, δὲ ἀπάξεις BA𝔄ΨΩΔ (ita Δ) FJ. correxi ego: δὲ κατάξεις. redit

ὁ πατὴρ καὶ ἀγανακτήσει μὴ εὑρίσκων καὶ πληγὰς ὕστε-
ρον λήψομαι καταλιπὼν τὸ ποίμνιον. ΖΕΥΣ. ποῦ γὰρ
ἐκεῖνος ὄψεταί σε; ΓΑΝ. μηδαμῶς· ποθῶ γὰρ ἤδη
αὐτόν. εἰ δὲ κατάξεις με, ὑπισχνοῦμαί σοι καὶ ἄλλον
παρ' αὐτοῦ κριὸν τυθήσεσθαι λύτρα ὑπὲρ ἐμοῦ. ἔχομεν
δὲ τὸν τριετῆ, τὸν μέγαν, ὃς ἡγεῖται πρὸς τὴν νο-
μήν. 3. ΖΕΥΣ. ὡς ἀφελὴς ὁ παῖς ἐστι καὶ ἁπλοϊ-
κὸς καὶ αὐτὸ δὴ τοῦτο παῖς ἔτι. ἀλλ', ὦ Γανύμηδες,
ἐκεῖνα μὲν πάντα χαίρειν ἔα καὶ ἐπιλαθοῦ αὐτῶν, τοῦ
ποιμνίου καὶ τῆς Ἴδης· σὺ δέ, ἤδη γὰρ ἐπουράνιος εἶ,
πολλὰ εὖ ποιήσεις ἐντεῦθεν καὶ τὸν πατέρα καὶ τὴν
πατρίδα καὶ ἀντὶ μὲν τυροῦ καὶ γάλακτος ἀμβροσίαν
211 ἔδῃ καὶ νέκταρ πίῃ· τοῦτο μέντοι καὶ τοῖς ἄλλοις * ἡμῖν
αὐτὸς παρέξεις ἐγχέων· τὸ δὲ μέγιστον, οὐκέτι ἄνθρωπος,
ἀλλ' ἀθάνατος γενήσῃ, καὶ ἀστέρα σου φαίνεσθαι
ποιήσω κάλλιστον καὶ ὅλως εὐδαίμων ἔσῃ. ΓΑΝ. ἢν
δὲ παίζειν ἐπιθυμήσω, τίς συμπαίξεταί μοι; ἐν γὰρ
τῇ Ἴδῃ πολλοὶ ἡλικιῶται ἦμεν. ΖΕΥΣ. ἔχεις κἀν-
ταῦθα τὸν συμπαιξόμενόν σοι τουτονὶ τὸν Ἔρωτα καὶ
ἀστραγάλους μάλα πολλούς. θάρρει μόνον καὶ φαιδρὸς

---

enim oratio ad verba ejusdem personae superiora: οὐ γὰρ κατά-
ξεις με —; perspexit vitium vulgatae etiam Cobetus V. L. p. 224,
cujus viri conjectura δὲ ἐπανάξεις non erat recipienda. καὶ ἄλλον
παρ' αὐτοῦ] παρ' αὐτοῦ καὶ ἄλλον 𝔄. τυθήσεσθαι BA𝔄CΨΩΔLFJ
εν
a b c, τεθύσεσθαι v. ante Lehmannum. ἔχομαι J. δὲ om Ψ.
τριέτη F. νομήν] ποίμνην 𝔄.

3. ὡς ἀφελὴς] δὲ add. Ψ. ἐστι] ἐστιν J, om 𝔄. δὴ] ἤδη
L. ἔτι] ἐστιν 𝔄Ψ. ἀλλὰ Γαννύμηδες 𝔄. ἐπιλαθοῦ Dindorfius
pro ἐπιλάθου. τοῦ ποιμνίου] τοῦ τε ποιμνίου F solus. εὐποιήσεις
BF, εὖποιήσεις A. ἐντεῦθεν] ἐνταῦθα Ψ. καὶ τὸν πατέρα] καὶ
om 𝔄. καὶ τὴν πατρίδα 𝔄ΩΔFL et v, καὶ πατρίδα BACΨ.
τυροῦ — μέντοι om Ω. ἀμβροσίαν] ἀβρωσίαν Ψ. ἐδῇ — πιῇ
TV. τοῦτο μέντοι om L, τοῦτο μὲν habet 𝔄, τοῦτο δὲ F. αὐτὸς
om F solus. ἀλλὰ ἀθάνατος Ω, ἀλλὰ θεὸς ἀθάνατος FLd.
φαίνεσθαι ποιήσω] ποιήσω φαίνεσθαι 𝔄Ψ. ἔσῃ om L. παιζεῖν
A. ἐπιθυμήσω] θελήσω 𝔄. συμπαίζεταί A, συμπαίξει F, συμ-
πέξεται Ψ. ἦμεν] ἦσαν 𝔄. ἕξεις 𝔄ΩFL, ἔχεις BACΨΔ et v,
quod pronomini τουτονί melius convenit. συμπαιζόμενον Ω,
συμπεξόμενον Ψ. σοι om ΩF. τουτονὶ τὸν Ἔρωτα BACΨΔN,

ἴσθι καὶ μηδὲν ἐπιπόθει τῶν κάτω. 4. ΓΑΝ. τί δὲ
ὑμῖν χρήσιμος ἂν γενοίμην; ἢ ποιμαίνειν δεήσει κἀν-
ταῦθα; ΖΕΥΣ. οὐκ· ἀλλ' οἰνοχοήσεις καὶ ἐπὶ τοῦ νέκ-
ταρος τετάξῃ καὶ ἐπιμελήσῃ τοῦ συμποσίου. ΓΑΝ.
τοῦτο μὲν οὐ χαλεπόν· οἶδα γὰρ ὡς χρὴ ἐγχέαι τὸ γάλα
καὶ ἀναδοῦναι τὸ κισσύβιον. ΖΕΥΣ. ἰδοὺ, πάλιν οὗτος
γάλακτος μνημονεύει καὶ ἀνθρώποις διακονήσεσθαι οἴεται·
ταυτὶ δὲ ὁ οὐρανός ἐστι, καὶ πίνομεν, ὥσπερ ἔφην, τὸ
νέκταρ. ΓΑΝ. ἥδιον, ὦ Ζεῦ, τοῦ γάλακτος; ΖΕΥΣ.
εἴσῃ μετ' ὀλίγον καὶ γευσάμενος οὐκέτι ποθήσεις τὸ γάλα.
ΓΑΝ. κοιμήσομαι δὲ ποῦ τῆς νυκτός; ἢ μετὰ τοῦ
ἡλικιώτου Ἔρωτος; ΖΕΥΣ. οὔκ· ἀλλὰ διὰ τοῦτό σε ἀνήρ-
πασα, ὡς ἅμα καθεύδοιμεν. ΓΑΝ. μόνος * γὰρ οὐκ 212
ἂν δύναιο, ἀλλ' ἥδιόν σοι καθεύδειν μετ' ἐμοῦ; ΖΕΥΣ.
ναὶ, μετά γε τοιούτου, οἷος εἶ σὺ, Γανύμηδες, οὕτω
καλός. 5. ΓΑΝ. τί γάρ σε πρὸς τὸν ὕπνον ὀνήσει τὸ
κάλλος; ΖΕΥΣ. ἔχει τι θέλγητρον ἡδὺ καὶ μαλακώτερον
ἐπάγει αὐτόν. ΓΑΝ. καὶ μὴν ὅ γε πατὴρ ἤχθετό μοι

τοῦτον τὸν Ἔρωτα 𝔄, τοῦτον Ἔρωτα ΩL (ita L) et v. θάρσει FL. ἴσθι B in litura. ἐπιπόθει] ἔτι πόθει Abreschius L. Aristaen. p. 193, qui valde nugatur. atticum enim verbum est ἐπιποθεῖν (‚concupiscere') diserte illud testante Polluce V, 165.

4. τί δὲ] τί δαὶ BACΩ. ποιμαίνειν] ποιμεν (sic) Ψ. δεήσῃ κἀνταῦθα; BA, κἀνταῦθα δεήσει L. οὗτος γάλακτος] οὗτος καὶ γάλακτος ΩLd, καὶ γάλακτος οὗτος F. διακονεῖσθαι 𝔄. δ' ὁ οὐρανὸς BΨ, δὲ ὁ οὐρανὸς 𝔄L et ni fallor F, δ' οὐρανὸς CΔΩ et v, δὲ οὐρανὸς J. καὶ — γάλακτος;] ΓΑΝ. καὶ πίνομεν ὦ Ζεῦ τὸ νέκταρ ἥδιον τοῦ γάλακτος 𝔄. τὸ νέκταρ] τοῦ νέκταρος L. εἴσῃ corr Ψ, οἴσῃ prm. κοιμήσομαι] καὶ κοιμήσομαι ΩF, καὶ κοιμηθήσομαι L. ἢ μετὰ] ἢ om ΩFL (ita L). δια τοῦτο A, διατοῦτο BF. οὔκ· — ὡς] οὔκ· ἀλλὰ μετ' ἐμοῦ τὰ πολλά. διὰ τοῦτο γάρ σε ἀνήρπασα ὡς 𝔄, οὔκ. ἀλλὰ διὰ τοῦτό γε ἡ σπουδὴ πᾶσα ἵνα ΩFL (ita L.). ἀλλὰ ἥδιον BAΨ. μετ' ἐμοῦ;] μετ' ἄλλου; Bekker et Dindorfius conjecerunt ob verba Jovis proxima. ac sane μετ' ἐμοῦ h. l. interpolatum esse monstrat superior interpolatio in 𝔄: μετ' ἐμοῦ τὰ πολλά. εἶ om Ψ. Γανύμηδες] ὦ Γανύμηδες Ld. οὕτω καλὸς] haec frustra delebat Cobetus V. L. p. 295 probante ut solet Dindorfio. vide vel Hom. Il. υ, 233.

5. θέλγητρον codd. omnes et abc, θέλκτρον pleraeque edd. ante Schmiederum. διηγεῖτο] διηγήσατο 𝔄. καί τι] καί τοι AJ.

συγκαθεύδοντι καὶ διηγεῖτο ἕωθεν, ὡς ἀφεῖλον αὐτοῦ τὸν ὕπνον στρεφόμενος καὶ λακτίζων καί τι φθεγγόμενος μεταξὺ ὁπότε καθεύδοιμι· ὥστε παρὰ τὴν μητέρα ἔπεμπέ με κοιμησόμενον τὰ πολλά. ὥρα δή σοι, εἰ διὰ τοῦτο, ὡς φῄς, ἀνήρπασάς με, καταθεῖναι αὖθις ἐς τὴν γῆν, ἢ πράγματα ἕξεις ἀγρυπνῶν· ἐνοχλήσω γάρ σε συνεχῶς στρεφόμενος. ΖΕΥΣ. τοῦτ' αὐτό μοι τὸ ἥδιστον ποιήσεις, εἰ ἀγρυπνήσαιμι μετὰ σοῦ φιλῶν πολλάκις καὶ περιπτύσσων. ΓΑΝ. αὐτὸς ἂν εἰδείης· ἐγὼ δὲ κοιμήσομαι σοῦ καταφιλοῦντος. ΖΕΥΣ. εἰσόμεθα τότε τὸ πρακτέον. νῦν δὲ ἄπαγε αὐτὸν, ὦ Ἑρμῆ, καὶ πιόντα τῆς ἀθανασίας [αὖθις] ἄγε οἰνοχοήσοντα ἡμῖν, διδάξας πρότερον ὡς χρὴ ὀρέγειν τὸν σκύφον.

V.

213 *ΗΡΑΣ ΚΑΙ ΔΙΟΣ.*

1. *ΗΡΑ. Ἐξ οὗ τὸ μειράκιον τοῦτο, ὦ Ζεῦ, τὸ Φρύγιον ἀπὸ τῆς Ἴδης ἁρπάσας δεῦρο ἀνήγαγες, ἔλαττόν*

μετ. ὁπότε] *μεταξὺ ὅτε* 𝔄. *περὶ τὴν μητέρα* Ψ. *ἔπεμπέ με*] *με* om Ω. *κοιμησόμενον* ΨΩFL, *κοιμηθησόμενον* BA𝔄CΔ et v. *τὰ πολλὰ*] *ταπολλὰ* AF, *ὡς τὰ πολλὰ* ΩFLd. *ὥρα δή σοι*] *ὅρα δὲ* L. *διατοῦτο* BAJ. *ὡς φῄς*] *ὥσπερ ἔφης* F. *ἀνήρπασας*] *καθήρπασας* Ω. *καταθεῖναι* non est mutandum. *καθεῖναι* malebat cum Cobeto V. L. p. 224 Dindorfius. *ἐς τὴν γῆν*] *εἰς τὴν γῆν* ΨΩ, *εἰς γῆν* 𝔄FL (ita L). *τὸ ἥδιστον*] *ἥδιστον* cum Cobeto V. L. p. 224 Dindorfius. *μετὰ σοῦ φιλῶν πολλάκις* BA𝔄ΨCΔ (ita CΔ), *μετὰ σοῦ φιλῶν γὰρ διατελέσω πολλάκις* ΩFL et v. primus corrector videtur ita potius interpolasse: *ποιήσεις· εἰ γὰρ ἀγρυπνήσαιμι μετὰ σοῦ, φιλῶν διατελέσω πολλάκις.* *τί πρακτέον* Ω et v; *ὃ πρακτέον* BACΔ*N*, *ὅτε πρακτέον* Ψ (qui servat *τότε*), postremo *τὸ πρακτέον* 𝔄 (diserte), ut ego in prima ed. p. 9 reposui ex emendatione Lehmanni, ubi Thucyd. IV, 99: *αὐτοὺς γιγνώσκειν τὸ ποιητέον* contuli et similia plura. *πιόντα τῆς ἀθανασίας*] vide inprimis Homerid. Hymn., in Apoll. Del. v. 124—127. *ἀθανασίας γε* 𝔄, *ἀθανασίας ἄγαγε* FL, *ἀθανασίας ἄγε* BACΔΨΩ et v. at opus est notione ‚reducendi'. hinc jam olim supplevi: *ἀθανασίας αὖθις ἄγε.* sic demum bene haec opposita sunt: *νῦν δὲ ἄπαγε — καὶ — αὖθις ἄγε.* *οἰνοχοήσαντα* Ω. *διδάξας*] *καὶ δίδαξον* 𝔄. *τὸν σκύφον* om. 𝔄, pro eo *τὸ σκῦφος* Ω, *τὸ σκύφος* FL.

*μοι τὸν νοῦν προσέχεις. ΖΕΥΣ. καὶ τοῦτο γάρ, ὦ
Ἥρα, ζηλοτυπεῖς ἤδη, ἀφελὲς οὕτω καὶ ἀλυπότατον;
ἐγὼ δὲ ᾤμην ταῖς γυναιξὶ μόναις χαλεπήν σε εἶναι,
ὁπόσαι ἂν ὁμιλήσωσί μοι. 2. ΗΡΑ. οὐδ' ἐκεῖνα μὲν
εὖ ποιεῖς οὐδὲ πρέποντα σεαυτῷ, ὃς ἁπάντων θεῶν δεσ-
πότης ὢν ἀπολιπὼν ἐμὲ τὴν νόμῳ γαμετὴν ἐπὶ τὴν γῆν
κάτει μοιχεύσων, χρυσίον ἢ ταῦρος γενόμενος. πλὴν ἀλλ'
ἐκεῖναι μέν σοι κἂν ἐν γῇ μένουσι, τὸ δὲ Ἰδαῖον τουτὶ
παιδίον ἁρπάσας ἀνέπτης, ὦ γενναιότατε θεῶν, καὶ
συνοικεῖ ἡμῖν ἐπὶ κεφαλήν μοι ἐπαχθὲν, οἰνοχοοῦν δὴ
τῷ λόγῳ. οὕτως ἠπόρεις οἰνοχόων, καὶ ἀπηγορεύκεσαν
ἄρα ἥ τε Ἥβη καὶ ὁ Ἥφαιστος διακονούμενοι. σὺ * δὲ* 214
*καὶ τὴν κύλικα οὐκ ἂν ἄλλως λάβοις παρ' αὐτοῦ ἢ φιλή-
σας πρότερον αὐτὸν ἁπάντων ὁρώντων, καὶ τὸ φίλημά
σοι ἥδιον τοῦ νέκταρος. καὶ διὰ τοῦτο οὐδὲ διψῶν πολ-*

V.

ΔΙΟΣ ΚΑΙ ΗΡΑΣ ΒΔF.

1. *ἐξ οὗ*] *ἐξ ὅτου* 𝔄. *ὦ Ζεῦ* om L. *τὸ Φρύγ.*] *τὸ* om. *Ω*. *ἀνήγαγες*] *ἤγαγες* 𝔄. *τὸν νοῦν προσέχεις* BAC, *προσέχεις τὸν νοῦν* 𝔄ΨΔΩMLF et v. *ἀλυπότερον Δ*, *ἀλυπότατον ὢν* (sic) 𝔄. *ὁπόσαι*] *ὁπότ'* 𝔄. *ὁμιλήσωσί μοι* BACΨ𝔄, *ὁμιλήσωσίν μοι Δ*, *ὁμιλήσωσιν ἐμοὶ* v, *ὁπόσαι ἄρα ὁμιλήσωσιν ἐμοὶ Ω*FL.

2. *οὐδ' ἐκεῖνο* 𝔄, *οὐδὲ ἐκεῖνα* ΨΩLF. *ἐμὲ*] *με* FL. *ἐπὶ τὴν γῆν* om *Ω*FL. *μοιχεύων* a. *χρυσίον* BACΔΨ𝔄 abc, *χρυσίον ἢ σάτυρος Ω*MFLd. verba *ἢ σάτυρος*, quae in prima edit. p. 10 recepi, possunt genuina videri, possunt eadem e similibus locis (ut e Prometh. II c. 17) interpolata esse. *ἀλλὰ ἐκεῖναι* 𝔄. *κἂν* om *Δ*. *μένωσι* FL. *δὲ* BACΨΩFL, *δ'* v. *ἰδαῖον* 𝔄ΩΔMFL et v, *εἰκαῖον* BACΨVTU. *μένουσι. εἰκαῖον δ' ἰδαῖον τουτὶ* c. *τουτὶ*] *τοῦτο* MF. *θεῶν* BACΨ et v, *ἀστῶν Ω*, *ἀετῶν* 𝔄ΔMFL, male. *συνοικεῖ ἡμῖν ἐπὶ* BAC𝔄ΨΩΔLTVF (ita VF, de M non constat), *συνοικεῖν ἡμῖν ἐπὶ* d, *συνοικεῖ ἡμῖν νῦν ἐπὶ* Y, *συνοικεῖν νῦν ἐπὶ* J, *συνοικεῖ νῦν ἐπὶ* edd. (praeter d) ante Hemsterhusium. *ἐπαχθὲν*] *ἀνεχθὲν Ω*, *ἀνενεχθὲν* MFL. *δῆ τῷ* F, *δὴ* (om *τῷ*) L. *οἰνοχόου* 𝔄. *ἀπηγορεύκει* 𝔄ΩMFL, *ἀπηγορεύκασιν* BACΨΔ et v. correxi *ἀπηγορεύκεσαν*, quod commendat grammatica, rhetorica postulat. *ἄρα*] *ἤδη* Ψ. *διακονούμενος* M. *τὸν κύλικα* 𝔄. *λάβοις* om L, *λάβ[η]οις* F, *λαβ[οι]ης* (sic) Ψ. *φιλήσας*] *φιλήσαις* BAN, *φιλήσεις* L. *ἁπάντων*] *πάντων*

1. *ΧΑΡ.*] *Ἑρμῆς* D. personae signum in A. *ἔχει ἡμῖν* ADΦΩF, *ἔχει ὑμῖν* BOΓ𝔄M(*Ψ*) edd. vett. *μὲν ἡμῖν* ACΦ, *μὲν* (om *ἡμῖν*) 𝔄, *μὲν ὑμῖν* BOΓΨΩMF edd. vett. *ὡς ὁρᾶτε*] *ὁρᾶται* (om *ὡς*) *Ψ*. *τὰ π.*] *ταπολλὰ* AΦF et mox *ἐπιθάτερα* a. *τοσοῦτοι ἅμα* BOΨΦΩ et v, *τοσοῦτοι* (om *ἅμα*) 𝔄, *ἅμα τοσοῦτοι* AF. *μετανοήσητε* BOΓ𝔄ACΔΨΦΩMF, *μετανοήσετε* edd. vett.

ἐπίστασθαι (ε superscr., *ε* sec m) F. *ΕΡΜ.* D, *ΝΕΚ.* (id est *Νεκρός*) cae-

*γυμνοὺς ἐπιβαίνειν χρὴ, τὰ περιττὰ ταῦτα πάντα ἐπὶ τῆς ἠόνος καταλιπόντας· μόλις γὰρ ἂν καὶ οὕτω δέξαιτο ὑμᾶς τὸ πορθμεῖον. σοὶ δὲ, ὦ Ἑρμῆ, μελήσει τὸ ἀπὸ τούτου μηδένα παραδέχεσθαι αὐτῶν, ὃς ἂν μὴ ψιλὸς ἥκῃ τὰ ἔπιπλα, ὥσπερ ἔφην, ἀποβαλών. παρὰ δὲ τὴν ἀποβάθραν ἑστὼς διαγίγνωσκε αὐτοὺς καὶ ἀναλάμβανε γυμνοὺς ἐπιβαίνειν ἀναγκάζων. 2. ΕΡΜ. εὖ λέγεις· καὶ οὕτω ποιήσωμεν. οὑτοσὶ τίς ὁ πρῶτός ἐστι; ΜΕΝ. Μένιππος ἔγωγε. ἀλλ' ἰδοὺ ἡ πήρα μοι, ὦ * Ἑρμῆ,* 365
καὶ τὸ βάκτρον ἐς τὴν λίμνην ἀπερρίφθων· τὸν τρίβωνα δὲ οὐδ' ἐκόμισα εὖ ποιῶν. ΕΡΜ. ἔμβαινε, ὦ Μένιππε ἀνδρῶν ἄριστε, καὶ τὴν προεδρίαν ἔχε παρὰ τὸν κυβερνήτην ἐφ' ὑψηλοῦ, ὡς ἐπισκοπῇς ἅπαντας. 3. ὁ καλὸς δ' οὗτος τίς ἐστι; ΧΑΡ. Χαρμόλεως ὁ Μεγαρικὸς ὁ ἐπέραστος, οὗ τὸ φίλημα διτάλαντον ἦν. ΕΡΜ. ἀπόδυθι τοιγαροῦν τὸ κάλλος καὶ τὰ χείλη αὐ-

---

teri et v, recte. *εὐπλοήσωμεν* D et pr m F. *πάντα — καταλιπόντας*] *καταλιπόντας ἐπὶ τῆς ἠϊόνου* (om *πάντα*) 𝔄. *ἠόνος* Bekker, *ηίονος* A (ita A), *ἠϊόνου* 𝔄, *ἠϊόνος* caeteri et v. *ἂν* om 𝔄. *καὶ* (post *ἂν*) om Δ solus. et *μόλις γὰρ ἂν οὕτω* exstat De Merc. Cond. 12, Hermot. 45, De Domo 32. *οὕτω*] *οὕτως* BOFΩ (ita FO), *οὗτος* Φ. *δέξαιτο* Ω et v, *δέξοιτο* BOA (ita OA) ΨΦDF, *δέξεται* 𝔄. *ὑμᾶς*] *ἡμᾶς* a. *μελήσει τοαποτούτου* ΦF, *μελήσει ἀπὸ τοῦδε* 𝔄, *μελήσειτο ἀπο τοῦ δὲ* Ψ. *ψιλὸς ἥκῃ* 𝔄 recte, sed *ψιλὸς ᾖ καὶ* caeteri et v non sine inepta particula. *ἀποβάθραν*] *ἐπιβάθραν* AFUX. *διαγίγνωσκε* Dindorfius pro *διαγίνωσκε*.

2. *ποιήσωμεν*] *ποιήσομεν* ΑΨΦΩ, *ποιήσω* 𝔄. *οὑτοσὶ τίς ὁ πρῶτος* libri omnes. usitatius est: *ὁ πρῶτος οὑτοσὶ τίς —;* *ἐστι*] *ἐστιν* 𝔄. *πήρα* bcd, *πεῖρα* a. *ἐς τὴν*] *εἰς τὴν* Α𝔄ΩΦF. *ἀπερρίφθων* BOACVDTΨXY, *ἀπερρίφθω* 𝔄ΦΩF, *ἀπορρίφθων* edd. ante Hemsterhusium. *οὐδ' ἐκόμισα* ΟΦ et v, *οὐδὲ ἐκόμισα* BAΓ𝔄ΨΩF, *οὐ διεκόμισα* M. *ἔχε παρὰ τὸν κυβερνήτην* BO𝔄ΨΦΩ et v, *παρὰ τὸν κυβερνήτην ἔχε* A solus. *ἐφ'*] *ἀφ'* 𝔄. *ἐπισκοπεῖς* 𝔄. *ἅπαντας*] *ἅπαντα* M.

3. *δ' οὗτος*] *οὗτος δὲ* 𝔄. *ἐστι;*] *ἐστιν* A, *εἰ* 𝔄. *ὁ ἐπέραστος* 𝔄ΑΩMF cum Hemsterhusio, *ἐπέραστος* BOΨΦ et v. *Χαρμόλεως — ἦν*] haec possunt ab comico sumta esse ex anapaestis dimetris: *υυ Χαρμόλεως, | οὗ τὸ φίλημ' ἦν διτάλαντον.* *βαθεῖαν*] *βαρεῖαν* 𝔄. *ἐπὶ*] *περὶ* Ψ. *καὶ τὸ δέρμα*] *τὸ* om Φ. *ἔχει καλῶς*] *Χαρμολ. ἔχει καλῶς. Ἑρμ.* F, nova persona et ante *ἔχει*

τοῖς φιλήμασι καὶ τὴν κόμην τὴν βαθεῖαν καὶ τὸ ἐπὶ τῶν παρειῶν ἐρύθημα καὶ τὸ δέρμα ὅλον. ἔχει καλῶς, εὔζωνος εἶ· ἐπίβαινε ἤδη. 4. ὁ δὲ τὴν πορφυρίδα οὑτοσὶ καὶ τὸ διάδημα, ὁ βλοσυρός, τίς ὢν τυγχάνεις;
366 * ΛΑΜΠ. Λάμπιχος, Γελῴων τύραννος. ΕΡΜ. εἶτα, ὦ Λάμπιχε, τοσαῦτα ἔχων πάρει; ΛΑΜΠ. τί οὖν; ἐχρῆν, ὦ Ἑρμῆ, γυμνὸν ἥκειν τύραννον ἄνδρα; ΕΡΜ. τύραννον μὲν οὐδαμῶς, νεκρὸν δὲ μάλα· ὥστε ἀπόθου ταῦτα. ΛΑΜΠ. ἰδού σοι ὁ πλοῦτος ἀπέρριπται. ΕΡΜ. καὶ τὸν τῦφον ἀπόρριψον, ὦ Λάμπιχε, καὶ τὴν ὑπεροψίαν· βαρήσει γὰρ τὸ πορθμεῖον συνεμπεσόντα. ΛΑΜΠ. οὐκοῦν ἀλλὰ τὸ διάδημα ἔασόν με ἔχειν καὶ τὴν ἐφεστρίδα. ΕΡΜ. οὐδαμῶς, ἀλλὰ καὶ ταῦτα ἄφες. ΛΑΜΠ. εἶεν. τί ἔτι; πάντα γὰρ ἀφεῖκα, ὡς ὁρᾷς. ΕΡΜ. καὶ τὴν ὠμότητα καὶ τὴν ἄνοιαν καὶ τὴν ὕβριν καὶ τὴν ὀργήν, καὶ ταῦτα ἄφες. ΛΑΜΠ. ἰδού σοι ψιλός εἰμι. 5. ΕΡΜ. ἔμβαινε ἤδη. σὺ δὲ ὁ παχύς, ὁ πολύσαρκος, τίς εἶ; ΔΑΜ. Δαμασίας ὁ ἀθλητής. ΕΡΜ. ναὶ ἔοικας· οἶδα γάρ σε πολλάκις ἐν ταῖς παλαίστραις ἰδών. ΔΑΜ. ναί, ὦ Ἑρμῆ· ἀλλὰ παράδεξαί

κ. et post καλῶς etiam in A (ita A). ἐπίβαινε ἤδη] ἐπίβαιν ἤδη et in mg δὴ O (ita O).

4. οὑτοσὶ] οὗτος 𝔄. βλοσυρὸς BAΨΩF, βροσυρὸς O, βλοσσυρὸς 𝔄Φ edd. vett., ἁλουργὸς VΔU. ΛΑΜΠ.] personam om pr m F. Γελῴων B pro Γελώων. εἶτα, ὦ] ita correxi. libri τί οὖν, ὦ (A pr m τι οὖν ὦ), scil. ex inferiore loco. vide Catapl. 14 init. σάμπιχε pr m A. τί οὖν ἐχρῆν A et v, τί οὖν. ἐχρῆν F. τί οὖν; ἐχρῆν —; 𝔄 recte. minus bene Bekker hoc loco τί οὖν mutabat. vide D. Mort. XXII, 2. τύραννον ἄνδρα] τύραννον ὄντα 𝔄, τύραννον ἄνδρα ὄντα AF. μάλα om 𝔄. ταῦτα] αὐτὰ 𝔄. τῦφον B𝔄, τύφον AF et v, πλοῦτον D. ἀπόρριψον] ἀπόθου 𝔄. συνεμπεσόντα BOΨΦΩ et v, συμπεσόντα 𝔄AF. οὐκοῦν] οὐκ οὖν ΓM. vide Catapl. 11, D. Mort. XX, 2. με ἔχειν] ἔχειν με 𝔄. τί ἔτι;] τί ἐστι Ψ. πάντα] πᾶν ΓΔΨ. ἀφεῖκα Bekker. libri ἀφῆκα. τὴν ὀργὴν] τὴν om BO (ita O).

5. τίς εἶ; BO𝔄 et v, τίς εἶς; Ψ, om haec ΔΦΩ, pro eis habent τίς ὢν τυγχάνεις (τυγχάνει A pr m) ACF, scil. ex § 4 init. Δαμασίας] vide quae de hoc viro ad Lexiph. 11 diximus. ναί. ἔοικας A. ταῖς παλαίστραις] τῇ παλαίστρᾳ 𝔄. καταδύσεις τὸ]

με γυμνὸν ὄντα. ΕΡΜ. *οὐ γυμνὸν, ὦ βέλτιστε, το-*
σαύτας σάρκας περιβεβλημένον· ὥστε ἀπόδυθι αὐτὰς,
ἐπεὶ καταδύσεις τὸ σκάφος τὸν ἕτερον πόδα ὑπερθεὶς
*μόνον· ἀλλὰ * καὶ τοὺς στεφάνους τούτους ἀπόρριψον* 367
καὶ τὰ κηρύγματα. ΔΑΜ. *ἰδού σοι γυμνὸς, ὡς ὁρᾷς,*
ἀληθῶς εἰμι καὶ ἰσοστάσιος τοῖς ἄλλοις νεκροῖς. 6.
ΕΡΜ. *οὕτως ἄμεινον ἀβαρῆ εἶναι, ὥστε ἔμβαινε. καὶ*
σὺ . . . . . τὸν πλοῦτον ἀποθέμενος, ὦ Κράτων, καὶ
τὴν μαλακίαν δὲ προσέτι καὶ τὴν τρυφὴν, μηδὲ τὰ
ἐντάφια κόμιζε μηδὲ τὰ τῶν προγόνων ἀξιώματα, κατά-
λιπε δὲ καὶ γένος καὶ δόξαν καὶ εἴ ποτέ σε ἡ πόλις
ἀνεκήρυξε καὶ τὰς τῶν ἀνδριάντων ἐπιγραφὰς, μηδὲ
ὅτι μέγαν τάφον ἐπὶ σοὶ ἔχωσαν, λέγε· βαρύνει γὰρ καὶ
ταῦτα μνημονευόμενα. ΚΡΑΤ. *οὐχ ἑκὼν μὲν, ἀπορ-*
ρίψω δέ· τί γὰρ ἂν καὶ πάθοιμι; 7. ΕΡΜ. *βαβαί· σὺ*
δὲ ὁ ἔνοπλος, τί βούλει; ἢ τί τὸ τρόπαιον τοῦτο φέρεις;
ΣΤΡΑΤΙΩΤΗΣ. *ὅτι ἐνίκησα, ὦ Ἑρμῆ, καὶ ἠρίστευσα*
καὶ ἡ πόλις ἐτίμησέ με. ΕΡΜ. *ἄφες ὑπὲρ γῆς τὸ*
τρόπαιον· ἐν ᾅδου γὰρ εἰρήνη καὶ οὐδὲν ὅπλων δεήσει.
8. *ὁ σεμνὸς δὲ οὗτος ἀπό γε τοῦ σχήματος καὶ βρενθυ-*
*όμενος, ὁ τὰς ὀφρῦς ἐπηρκὼς, ὁ * ἐπὶ τῶν φροντίδων* 368

καταδύσεις γε τὸ 𝔄, *καταδύσειν τὸ Φ.* *τούτους ἀπόρριψον*] haec om *O*. *τὰ κηρύγματα*] *τὸ κήρυγμα* 𝔄. *σοι* om 𝔄. *ὁρᾷς* om 𝔄. *ἀληθῶς* om D. *ἰσοστάσιος*] *ἴσος* 𝔄.

6. *ἀβαρῆ*] *ἀμαθῆ* 𝔄. *ὥστε* om 𝔄. *καὶ σὺ* BO𝔄ΨΩ, *καὶ σὺ δὲ* AΦF et v. post *καὶ σὺ* signa posui lacunae. excidit autem is quo opus est imperativus *πάριθι* (sive ut est in gemino loco Catapl. 5: *πάριθι ἤδη*). Lucianus scripserat: *καὶ σὺ πάριθι τὸν πλοῦτον ἀποθέμενος —*. *ἀποθέμενος*] *ἀπόθου* 𝔄 solus, quod est grammatici. *δὲ πρὸς ἔτι* BO, *προσέτι* (om *δὲ*) 𝔄. *κατάλιπε δὲ*] hic quoque *δὲ* om 𝔄. *ἀνεκήρυξε* 𝔄ΓΑCΩMF et Φ, sed Φ in marg. habet scholium: *ὡς εὐεργέτην δηλονότι* et scholium *εὐεργέτην δηλονότι* etiam in X, sed *ἀνεκήρυξεν* (*ἐνεκήρυξεν* BO) *εὐεργέτην δηλονότι* (*δῆλον ὅτι* B) BOΨ et v. *τί γὰρ ἂν*] *γὰρ* om a.

7. *βαβαί* om D. *τοῦτο*] *τουτὶ* 𝔄 solus fortassis recte. signa personae in BA, *Νεκρός* VTF, *ΚΡΑΤ.* ab, sed bene *ΣΡΑΤ.* cd, hoc est *στρατιώτης*. *ἐνίκησα — ἠρίστευσα*] *ἠρίστευσα ὦ Ἑρμῆ καὶ ἐνίκησα* 𝔄. *ἐτίμησε*] *ἐτίμησεν* Γ. *ὑπὲρ γῆς* BO𝔄ACΨΦΩTMF, *ὑπὸ γῆς* Δ, *ἐν γῇ* edd. vett. *δεήσει*] *δεήσῃ* BO.

τίς ἐστιν, ὁ τὸν βαθὺν πώγωνα καθειμένος; ΜΕΝ. φιλόσοφός τις, ὦ Ἑρμῆ, μᾶλλον δὲ γόης καὶ τερατείας μεστός· ὥστε ἀπόδυσον καὶ τοῦτον. ὄψει γὰρ πολλὰ καὶ γελοῖα ὑπὸ τῷ ἱματίῳ σκεπόμενα. ΕΡΜ. ἀπόθου σὺ τὸ σχῆμα πρῶτον, εἶτα καὶ ταυτὶ πάντα. ὦ Ζεῦ,
369 * ὅσην μὲν τὴν ἀλαζονείαν κομίζει, ὅσην δὲ ἀμαθίαν καὶ ἔριν καὶ κενοδοξίαν καὶ ἐρωτήσεις ἀπόρους καὶ λόγους ἀκανθώδεις καὶ ἐννοίας πολυπλόκους, ἀλλὰ καὶ ματαιοπονίαν μάλα πολλὴν καὶ λῆρον οὐκ ὀλίγον καὶ ὕθλους καὶ μικρολογίαν, καὶ νὴ Δία χρυσίον γε τουτὶ
370 καὶ ἡδυπάθειαν καὶ * ἀναισχυντίαν καὶ ὀργὴν καὶ τρυφὴν καὶ μαλακίαν· οὐ λέληθε γάρ με, εἰ καὶ μάλα περικρύπτεις αὐτά. καὶ τὸ ψεῦδος δὲ ἀπόθου καὶ τὸν

---

8. βρενθ.] in Hesychio: Βρενός· πυθμὴν, τύμβος. καὶ ὄρνεον, ὃ καὶ βρένθον Hemsterhusius ad h. l. favente literarum ordine conjecit: Βρενθὺς, improbante (qui confert Bekk. Anecd. p. 223, 14) Schmidtio ad Hesych. p. 397. at tantum recte Batavus: ,fuerit etiam lectum, inquit, alicubi ἡ βρενθὺς —', uti nunc docet Philodemus Περὶ Κακιῶν lib. X p. 30 ed. Saupp: καὶ βρενθύεσθαι δὲ καὶ βρενθυόμενον ὠνόμαζον καὶ ἔτι νῦν ὀνομάζουσιν, εἴτ' ἀπὸ τοῦ παραδεδομένου θυμιάματος ἢ μύρου τῶν θεῶν βρενθύος, ὡς καθ' ἡμᾶς καὶ μίνθωνας ἀπὸ τῆς μίνθης, εἴτ' ἀφ' ὁτουδήποτε —: ita enim μύρου τῶν θεῶν β. Sauppius edidit, jure miratus ,unguentum deorum'. at papyrus sic: μυρουτων. εων βρενθυοσ. ocius corrige: μύρου τῶν Λυδῶν βρενθύος et confer Pollucem VI, 104. ὁ ἐπὶ] καὶ ἐπὶ Ω, ὁ καὶ ἐπὶ M. καθείμενος a, κεθειμένος A. ΜΕΝ.] Charoni dat F. τις om 𝔄. γόης] σοφιστὴς γόης 𝔄. σκεπόμενα ΒΓ𝔄ΦΑCΟΔΨΩMF, κρυπτόμενα edd. vett. ἀπόθου 𝔄ΨACF, κατάθου ΩΦΟ et v. ταυτὶ] ταῦτα 𝔄. ἀλαζονείαν codices, ἀλαζονίαν abcd. κενοδ.] καινοδοξίαν DΨ. μάλα πολλὴν] μάλα om 𝔄. libri καὶ μικρολογίαν, νὴ Δία (AF interpungunt post νὴ Δία) καὶ χρυσίον γε, sed D om γε, 𝔄 autem sic: καὶ μικρολογίαν, νὴ Δία γε καὶ χρυσίον. correxi jam olim, uti sententia et usus postulat: καὶ μικρολογίαν καὶ νὴ Δία χρυσίον γε. (possis tamen conlato 𝔄 sic: καὶ μικρολογίαν καὶ νὴ Δία γε χρυσίον, ut est in D. Mort. X, 12 fin.). vide meas Quaestt. L. p. 156. καὶ ἡδυπάθειαν] καὶ ἡ εὐπάθειαν O. ἡδυπάθειαν 𝔄Ω, ἡδυπάθειαν δὲ plerique libri et v. καὶ ὀργὴν καὶ τρυφὴν] καὶ ἀργίαν καὶ τρυφὴν 𝔄, καὶ τρυφὴν καὶ ὀργήν Ω. λέληθε] λέληθας D solus frustra probante Hemsterhusio. δὲ ἀπόθου om

τῦφον καὶ τὸ οἴεσθαι ἀμείνων εἶναι τῶν ἄλλων. ὡς
εἴ γε ταῦτα πάντα ἔχων ἐμβαίης, ποία πεντηκόντορος
δέξαιτο ἄν σε; ΦΙΛ. ἀποτίθεμαι τοίνυν αὐτά, ἐπείπερ
οὕτω κελεύεις. 9. * ΜΕΝ. ἀλλὰ καὶ τὸν πώγωνα 371
τοῦτον ἀποθέσθω, ὦ Ἑρμῆ, βαρύν τε ὄντα καὶ λάσιον,
ὡς ὁρᾷς· πέντε μναῖ τριχῶν εἰσι τοὐλάχιστον. ΕΡΜ.
εὖ λέγεις· ἀπόθου καὶ τοῦτον. ΦΙΛ. καὶ τίς ὁ ἀπο-
κείρων ἔσται; ΕΡΜ. Μένιππος οὑτοσὶ λαβὼν πέλεκυν
τῶν ναυπηγικῶν ἀποκόψει αὐτὸν ἐπικόπῳ τῇ ἀποβάθρᾳ
χρησάμενος. ΜΕΝ. οὐκ, ὦ Ἑρμῆ, ἀλλὰ * πρίονά 372
μοι ἀνάδος· γελοιότερον γὰρ τοῦτο. ΕΡΜ. ὁ πέλεκυς
ἱκανός. εὖ γε. ἀνθρωπινώτερος [γὰρ] νῦν ἀναπέφηνας,
ἀποθέμενος σαυτοῦ τὴν κινάβραν. ΜΕΝ. βούλει μι-
κρὸν ἀφέλωμαι καὶ τῶν ὀφρύων; ΕΡΜ. μάλιστα· ὑπὲρ
τὸ μέτωπον γὰρ καὶ ταύτας ἐπῆρκεν, οὐκ οἶδ' ἐφ' ὅτῳ
ἀνατείνων ἑαυτόν. τί τοῦτο; καὶ δακρύεις, ὦ κάθαρμα,
καὶ πρὸς τὸν θάνατον ἀποδειλιᾷς; ἔμβηθι δ' οὖν.

M. *τῦφον* B𝔄, *τύφον* v. *ἀμείνων* BΓ𝔄AΔΨΦΩMF, *ἀμείνω* edd. vett. *ταῦτα πάντα* B𝔄ACΔΨΦΩMOF, *πάντα ταῦτα* edd. vett. *ἐμβαίης* BΓ𝔄ACDΔΨΦΩOMF, *ἐμβαίνῃς* a, *ἐμβαίνοις* bcd. *ἀποτίθεμαι*] *ἀποτέθειμαι* 𝔄.

9. *ΜΕΝ.*] Charoni dat F (ut supra § 8). *ἀποθέσθω, ὦ Ἑρμῆ*] *ὦ Ἑρμῆ ἀποθέσθω* 𝔄. *βαρύν*] *βαθύν* M. *μναῖ τριχῶν εἰσι* BO𝔄ΨΩ et (qui *μναὶ*) Φ, *μναῖ τρίχες εἰσὶ* V, *μνῶν τριχῶν εἰσι* Da, *μνῶν τρίχες εἰσὶ* AF et v, *μναῖ εἰσι τρίχες* TUX, denique *μναῖ εἰσι τριχῶν* ΓM, ut Hemsterhusius conjecerat. *ἀποκείρων*] *ἀποκερῶν* Ψ. *οὑτοσὶ*] *οὗτος* 𝔄. *λαβὼν π.*] *πέλεκυς λαβὼν* 𝔄. *ἀποκόψει*] *ἐπικόψει* ΔVU. *ἐπικόπῳ*] *ἐπὶ κόπω* O, *ἐπικωπῃ* 𝔄, *ἐπικόπτῳ* TV et (ubi add. ‚*ἐπικώπῳ* forsan') Y. *ἀποβάθρᾳ* BOΓ𝔄ΨΦΩM, *ἐπιβάθρᾳ* AF, *ἀναβάθρᾳ* edd. vett. *τοῦτο*] *τοῦτό γε* Schwidopius Obs. L. III p. 18. *ΕΡΜ.* — *ἱκανός*] *ΕΡ. πέλεκυς γὰρ οὐχ ἱκανός*; 𝔄. ante *εὖ γε* nulla persona est in a, probante Hemsterhusio, sed ibidem nota personae est in BA, *ΧΑΡ. εὖ γε* 𝔄, *ΜΕΝ. εὖ γε* F et v. *ἀνθρωπινώτερος* BO𝔄Δ(V)AΦΩF, *ἀνθρωπικώτερος* Ψ, *ἀνθρωπινώτερον* M et v.

γὰρ νῦν BOΨΦΩ et v, sed *γὰρ* om 𝔄AF, recte. *ἀναπέφηνας*] *πέφηνας* 𝔄. *σαυτοῦ* ΨAF, *ἑαυτοῦ* 𝔄, *αὐτοῦ* Ω, *αὑτοῦ* v.

ΜΕΝ. βούλει 𝔄T, personae signum habet etiam A, sed personam om F et v. *ἀφέλωμαι*] *ὑφέλωμαι* 𝔄. *ἐπῆρκεν*] *ὑπῆρκεν* D. *οἶδ'*] *οἶδα* BO𝔄AΨΦΩF. *ὅτῳ*] *ᾧ* 𝔄 solus. *ἀνατείνειν*

ΜΕΝ. ἓν ἔτι τὸ βαρύτατον ὑπὸ μάλης ἔχει. *ΕΡΜ.*
373 τί, ὦ * Μένιππε; *ΜΕΝ.* κολακείαν, ὦ Ἑρμῆ, πολλὰ
ἐν τῷ βίῳ χρησιμεύσασαν αὐτῷ. *ΦΙΛ.* οὐκοῦν καὶ σύ,
ὦ Μένιππε, ἀπόθου τὴν ἐλευθερίαν καὶ παρρησίαν καὶ
τὸ ἄλυπον καὶ τὸ γενναῖον καὶ τὸν γέλωτα· μόνος γοῦν
τῶν ἄλλων γελᾷς. *ΕΡΜ.* μηδαμῶς· ἀλλ' ἔχε ταῦτα·
κοῦφα γὰρ καὶ πάνυ εὔφορα πάντα καὶ πρὸς τὸν κατά-
πλουν χρήσιμα. 10. καὶ ὁ ῥήτωρ δὲ σὺ ἀπόθου τῶν
ῥημάτων τὴν τοσαύτην ἀπεραντολογίαν καὶ ἀντιθέσεις
374 καὶ * παρισώσεις καὶ περιόδους καὶ βαρβαρισμοὺς καὶ
τὰ ἄλλα βάρη τῶν λόγων. *ΡΗΤ.* ἢν ἰδού, ἀποτίθεμαι.
ΕΡΜ. εὖ ἔχει· ὥστε λύε τὰ ἀπόγεια, τὴν ἀποβάθραν
ἀνελώμεθα, τὸ ἀγκύριον ἀνεσπάσθω· πέτασον τὸ ἱστίον,

D. ante *τί τοῦτο;* et ante *ἔμβηθι* signum personae in A.
τί — δακρύεις] *τί καὶ δακρύεις* 𝔄. *πρὸς τὸν θάνατον* 𝔄, *πρὸς θάνατον* AF et v. infra § 11 fin. recte plerique libri *ἐπὶ τὸν θ.*, ubi item variatur *ἐπὶ θ.* *ὑπὸ μάλης*] *ὑπομάλης Φ.* *κολακείαν* B𝔄ADΨΦΩF, *κολακίαν O* (diserte) et edd. vett. *ἐν τῷ βίῳ χρησιμ. αὐτῷ* BO𝔄ΨΦΩ et v, *χρησιμ. αὐτῷ ἐν τῷ βίῳ* AF soli.
ΦΙΛ. οὐκοῦν] *ΕΡΜ. οὐκοῦν* 𝔄. *παρρησίαν*] *τὴν παρρησίαν* 𝔄.
ἀλλ' ἔχε 𝔄F, *ἀλλὰ ἔχε* A, *ἀλλὰ καὶ ἔχε ΨΦΟΩ* et v, male.
κοῦφα πάνυ καὶ εὔφορα (om *γὰρ* et *ὄντα*) 𝔄, *κοῦφά γε καὶ πάνυ εὔφορα ὄντα* D, *κοῦφα γὰρ καὶ πάνυ εὔφορα ὄντα* BOΨACΔΜΦΩF et edd. vett. pro *εὔφορα Γ εὔφοραι* et *Δ εὔφρονα.* vitio perspecto Hemsterhusius aut *κοῦφά γε* cum cod. Oxon. scribebat (idque recepit) aut ipse conjectura tum quidem ductus *ὄντα* delebat, quorum neutrum probare licet. immo et antiqua lectio *κοῦφα γάρ* recte habet, neque *ὄντα* temere delendum sed ut supra posui pro eo *πάντα* corrigendum est. neque enim unam rem philosophus nominarat, sed multas: quae leves erant ‚ad unam omnes',

10. *τῶν ῥημάτων τὴν τοσ. ἀπ.*] *τὴν τῶν ῥημάτων ἀπεραντολογίαν* (om *τοσαύτην*) ΩΜ. *παρισώσεις*] *περιπτώσεις* 𝔄.
τὰ ἄλλα B𝔄AΨΦΩF, *τἄλλα* bc, *τἄλλα* a et v. *ἢν ἰδού*] *ἦν. ἰδοὺ* A, *ἣν ἰδοὺ O, ἤνιδε* T, *ἰδοὺ* (om *ἢν*) *Ψ, ΜΕΝ. ἰδοὺ* 𝔄. *ἀποτίθεμαι*] *ἀποτίθεμαι ταῦτα Ψ, ἀποτίθεται καὶ οὗτος* 𝔄. *λύε τὰ*] *λύεται τὰ* 𝔄A. *ἀποβάθραν*] *ἀπὸ βάθραν O, ἐπιβάθραν* 𝔄ACF.
ἀνελώμεθα] *ἑλώμεθα* D. *πέτασον*] *ἐμπέτασον* 𝔄. *εὖ πάθωμεν* BOΨΦΩ et v, sed *εὐπλοῶμεν* 𝔄CF et (ubi tum ante tum post *εὐπλοῶμεν* nova persona) A, confirmata emendatione Valckenari in Diatrib. p. 281, b, qui literas *ΛΟ* et *ΛΘ* hic quoque confusas esse perspexit. quod et editores omnes, etiam Schmieder T.

εὔθυνε, ὦ πορθμεῦ, τὸ πηδάλιον· εὐπλοῶμεν. 11. *τί οἰμώζετε, ὦ μάταιοι, καὶ μάλιστα ὁ φιλόσοφος σὺ ὁ ἀρτίως τὸν πώγωνα δεδῃωμένος; ΦΙΛ. ὅτι, ὦ Ἑρμῆ, ἀθάνατον ᾤμην τὴν ψυχὴν ὑπάρχειν. ΜΕΝ. ψεύδεται· ἄλλα γὰρ ἔοικε λυπεῖν αὐτόν. ΕΡΜ. τὰ ποῖα; ΜΕΝ. ὅτι μηκέτι δειπνήσει πολυτελῆ δεῖπνα, μηδὲ νύκτωρ ἐξιὼν ἅπαντας λανθάνων τῷ ἱματίῳ τὴν κεφαλὴν κατειλήσας περίεισιν ἐν κύκλῳ τὰ χαμαιτυπεῖα, καὶ ἕωθεν ἐξαπατῶν τοὺς νέους ἐπὶ τῇ σοφίᾳ ἀργύριον λήψεται· ταῦτα λυπεῖ αὐτόν. ΦΙΛ. σὺ γάρ, ὦ Μένιππε, οὐκ ἄχθῃ ἀποθανών; ΜΕΝ. πῶς, ὃς ἔσπευσα ἐπὶ τὸν θάνατον καλέσαντος μηδενός;* * 12. *ἀλλὰ μεταξὺ λόγων,* 375
οὐ κραυγή τις ἀκούεται ὥσπερ τινῶν ἀπὸ γῆς βοώντων; ΕΡΜ. ναί, ὦ Μένιππε, οὐκ ἀφ' ἑνός γε χωρίου· ἀλλ' οἱ μὲν ἐς τὴν ἐκκλησίαν συνελθόντες ἅσμενοι γελῶσι πάντες ἐπὶ τῷ Λαμπίχου θανάτῳ καὶ ἡ γυνὴ αὐτοῦ συνέχεται πρὸς τῶν γυναικῶν καὶ τὰ παιδία νεογνὰ ὄντα ὁμοίως κἀκεῖνα ὑπὸ τῶν παίδων βάλλεται ἀφθόνοις τοῖς

I p. XLVIII secuti sunt, et qui Schmiedero injuriam fecit Schaefer ad Dion. De C. V. p. 73, et Cobetus in V. L. p. 2. res ipsa loquitur.

11. *ὁ ἀρτίως*] *ὁ ἄρτι* 𝔄, *ἀρτίως* (om *ὁ*) B*O*. *ὅτι*] *τί ὅτι* *Ψ* (?). *ὦ Ἑρμῆ ἀθάνατον ᾤμην*] *ὦ Ἑρμῆ ᾤμην ἀθάνατον Ω*, *ᾤμην ὦ Ἑρμῆ ἀθάνατον* 𝔄. *ἄλλα γὰρ*] *ἄλλα* (om *γὰρ*) 𝔄, *ἀλλὰ γὰρ* p m F. *δειπνήσει*] *δειπνήσῃ* 𝔄, *δειπνήσειε* M. *νύκτωρ*] *νύκταρ Φ*. *τὴν κεφαλὴν*] *καὶ τὴν κεφαλὴν* M. *καθειλήσας περίεισιν Ψ*, *κατειλήσει περιιὼν* 𝔄, *κατειλήσας περίησιν* (V). *χαμαιτυπεῖα*] *χαμαιτυπία* B*O*. *ἕωθεν*] *ἔξωθεν* a. *ΦΙΛ.*] *ἑρμ.* (persona supra sec m) F. *σὺ γὰρ Γ*𝔄A*ΨΦΩ*MF, *σὺ δ' Δ*, *σὺ δὲ* edd. vett., *σὺ* B*O*. *ἐπὶ τὸν θάνατον*] *ἐπὶ θάνατον O* (ita *O*).

12. *ἀπὸ γῆς* A*Ψ*F et v, *ὑπὸ γῆς* B*OΓΦ*, *ὑπὲρ γῆς* 𝔄*Ω*M. *χωρίου* 𝔄AC*Ω*MF, *χώρου* (B)*OΨΦ* et v. *ἀλλ' οἱ μὲν*] *ἄλλοι μὲν* M et (qui post *συνελθόντες* interpungit) *Γ*. *ἐς*] *εἰς* 𝔄A*ΨΩ*MF. *συνελθόντες*] *ἐλθόντες Ω*. *ἅσμενοι*] *ἀσμένως* 𝔄. *ὁμοίως κἀκεῖνα*] *κἀκεῖνα ὁμοίως Φ*. *ὑπὸ τῶν παίδων βάλλεται*] *βάλλεται ὑπὸ τῶν παιδίων* 𝔄. *Διόφαντον τὸν ῥήτορα* A*ΦΩ*F et v, *διοτιφατμον τὸν ῥήτορα* 𝔄, *Διόφαντον ῥήτορα* (om *τὸν*) B*OΨ*. correxi: *Διοφάνην τὸν ῥήτορα*. de Diophanto ut rhetore nihil traditum est. certum virum eumque nobilissimum adferre noster voluit neque in ea re quum ipse rhetor esset, potuit errare. dicitur autem Diophanes Mytilenaeus (*Διοφάνης ὁ ῥήτωρ*), de quo vide Tullium in Bruto c. 27, Plutarchum in Tiberio Graccho

λίθοις· ἄλλοι δὲ Διοφάνην τὸν ῥήτορα ἐπαινοῦσιν ἐν Σικυῶνι ἐπιταφίους λόγους διεξιόντα ἐπὶ Κράτωνι τουτῳΐ. καὶ νὴ Δία γε ἡ Δαμασίου μήτηρ κωκύουσα ἐξάρχει τοῦ θρήνου ταῖς γυναιξὶν ἐπὶ τῷ Δαμασίᾳ· σὲ δὲ οὐδείς, ὦ Μένιππε, δακρύει, καθ' ἡσυχίαν δὲ κεῖσαι μόνος. 13. *ΜΕΝ. οὐδαμῶς, ἀλλ' ἀκούσῃ τῶν κυνῶν μετ' ὀλίγον ὠρυομένων οἴκτιστον ἐπ' ἐμοὶ καὶ τῶν κοράκων τυπτομένων τοῖς πτεροῖς, ὁπόταν συνελθόντες θάπτωσί με. ΕΡΜ. γεννάδας εἶ, ὦ Μένιππε. ἀλλ' ἐπεὶ καταπεπλεύκαμεν [ἡμεῖς,] ὑμεῖς μὲν ἄπιτε πρὸς τὸ δικα-*
376 *στήριον * εὐθεῖαν ἐκείνην προϊόντες· ἐγὼ δὲ καὶ ὁ πορθμεὺς ἄλλους μετελευσόμεθα. ΜΕΝ. εὐπλοεῖτε, ὦ Ἑρμῆ· προΐωμεν δὲ καὶ ἡμεῖς. τί οὖν ἔτι καὶ μέλλετε; πάντως δικασθῆναι δεήσει· καὶ τὰς καταδίκας φασὶν εἶναι βαρείας, τροχοὺς καὶ λίθους καὶ γῦπας· δειχθήσεται δὲ ἀκριβῶς ὁ ἑκάστου βίος.*

---

c. 8 et c. 20, Strabonem XIII p. 617. homines, quorum nomina ab Luciano non ficta sunt, minime ipsius fuerunt aequales, sed plerique ante eum vixerant. tales in hoc dialogo praeter Menippum et Diophanem sunt et Crato Sicyonius et is, de quo ad Lexiphan. c. 11 exposui, Damasias. *τουτῳΐ* Cobetus V. L. p. 229. libri *τούτῳ*, male. vide nos ad D. Mort. III, 1. *σὺν γυναιξὶν* plerique libri et v, *σὺν ταῖς γυναιξὶν* Y, sed *ταῖς γυναιξὶν* (om *σὺν*) c. atticismus poscit articulum, praepositionem respuit. itaque ex Aldina secunda *ταῖς γυναιξὶν* bene repositum est ab Lehmanno, Matthiaeo, Bekkero. *ἐπὶ τῷ*] *ἐπὶ τῶν* A. *Δαμασίᾳ*] *δαμασιω* (sec m fecit *ᾳ* i. e. *δαμασίᾳ*) A, *δαμασίω* (superscr. *α*) (utrumque et *ω* et *α* pr m) F, *δαμασιῷ* (ita Belinus) M, *δαμασιωι* Ω. *οὐδείς, ὦ Μένιππε* (B)Ο𝔄ΦΩ et v, *ὦ Μένιππε, οὐδεὶς* ΑΨF.

13. *μετ' ὀλίγον* ΒΟ𝔄ΨΩ et v, *μετολίγον* F, *μετ' ὀλίγων* abcd, sed *μετ' ὀλίγον* om Φ. *ὠρυωμένων* Da. *ὁπόταν* ΒΟ𝔄ACΔΨΦΩ, *ὁπότ' ἂν* F et v. *θάπτωσί με*] *με* om Ω pr m. *ἡμεῖς* (ante *ὑμεῖς*) om 𝔄c, recte ut videtur. *πρὸς*] *ἐπὶ* M. *προϊόντες*] *προσιόντες* 𝔄. *μεθελευσόμεθα* abc. *καὶ ἡμεῖς*] *καὶ* om 𝔄. *μέλλετε*] *μέλετε* 𝔄. *πάντως* habent 𝔄AFVTX, om ΒΟΓΔΨΦΩM et edd. vett. *φασὶν*] *φησὶν* O. *τὰς — βαρείας*] *τὰς δίκας εἶναί φασι βαρείας* 𝔄. *καὶ λίθους καὶ γύπας* (*γύπους* O) ΒΟ𝔄ΑΨΩF, *καὶ γύπας καὶ λίθους* Φ et v. *γῦπας* pro *γύπας* 𝔄a recte. *δὲ*] *γοῦν* 𝔄. *ἀκριβῶς ὁ ἑκάστου βίος* 𝔄, *ὁ ἑκάστου βίος ἀκριβῶς* ACF, *ὁ ἑκάστου βίος.* (om *ἀκριβῶς*) caeteri libri et v.

LUCIANUS

SAMOSATENSIS.

FRANCISCUS FRITZSCHIUS

RECENSUIT.

VOLUMINIS III PARS II.

ROSTOCHII

IMPENSIS GUILELMI WERTHER

MDCCCLXXXII.

Typis academicis Adlerianis.

THEODORO FRITZSCHIO

PHILOLOGO GUSTROVIENSI

FILIO

Ἀντίδωρον.

Praefatio.

Prolegomenis dissertationes aliquot Lucianeae continentur, quas ut in lucem ederem, amici me saepius adhortati sunt. Adhuc pleraque desunt, quae spectant ad dialogos subditicios et quae in atticismo scriptoris versantur desunt omnia, quorum utrumque genus uti spero volumini proximo inseri poterit. Excludam tamen commentationes Academicas numero plurimas, quae ad Lucianum omnino nihil adtinent easque fortassis alio loco nescio quo divulgandas curabo. Quod autem ad fontes horum dialogorum pertinet, quaecunque de codicibus ‚Charonis‘, dialogi haud magnopere mendosi dici possunt, lectoribus meis jam cognita esse video. Namque ‚Charonem‘ etiam Vindobonensis no. 123 (B) exhibet, ex quo complures loci certo restitui possunt, tametsi in ‚Charone‘ non ubique ita eminet ut in brevi dialogo *Προμηθεὺς ἢ Καύκασος*. Tum de ‚dialogis mortuorum‘ et de codicibus qui eos habent omnibus in praefat. ad V. III P. I p. VII satis dictum est. In his corrigendis nunc quoque ab Vindobonensi B et Vaticano 𝔄 profectus sum. Multis autem hi dialogi vitiis

laborant, id quod valet potissimum de partibus eorum extremis: ubi ut Vindobonensis sexcenties conferatur, saepe tamen eadem in menda cubare qua codices reliqui invenietur. Restat ‚Cataplus', in quo nunc Vindobonensis B omnino non legitur. Illorum autem codicum qui ‚Cataplum' vere exhibent, infra p. 120 et uberius p. 157 nomina adtuli, usum demonstravi, vitia eorum non reticui. Sed libro meo jam finito praeter omnem exspectationem contigit alius codicis qui nunc demum comparatus est, lectionibus potiri. Itaque ego a calce subito revocatus has quoque scripturas loco postremo p. 160 sqq. putavi adnectendas esse. Mutinensis est, codex Lucianeus ex antiquissimis, quem ego in Praefat. ad V. I P. I p. X verbo tetigi, Sommerbrodtius autem ab se excussum in Museo Rhen. a. 1882 Fascic. II p. 299 sqq. optime descripsit. Multa tamen in hoc codice qui partem Luciani habet non exiguam, hodie legi et intellegi nequeunt. Nisi spatium vacuum iterum mihi explendum esset, hic finem facerem praefandi: nunc autem nonnihil addam de codicibus Lucianeis in universum. Neque enim verum est, quod nonnulli credunt, ambo Vaticanos no. 90 (*Γ*) et 87 (𝔄) totos mihi conlatos esse. Immo codicis 𝔄 lectiones tantum magna ex parte, prioris autem *Γ* paucissimas habeo cognitas. Ergo J. Sommerbrodtius vel E. Rohdius vel H. Herwerdenus si integrum librum *Γ* excutere voluerint, profecto operae facient pretium. De alio codice Lucianeo (Urbinatem dico) jam olim Lipsiae primum nuntium acceperam, cujus tum lectiones acquirere, quum valde cuperem, non potui. Nam

paulo ante cod. Florentini Φ conlationem magno emeram ideoque, ut est apud Plautum ,argentum ᾤχετο'. Proximis annis alii codices, qui vel ab me ipso vel meo nomine ab aliis excussi sunt, ut Gorlicensis, Guelferbytani duo, cod. Vindobonensis et omnes Parisini tantam apud me vim habuerunt, ut Urbinatem prae his contemnerem. Attamen etiam de Urbinate me vera audisse multo post docuit C. L. Kayser ad Philostratum p. 336 ed. maj., qui duo codices addit, primum ,Urbinatem' 118 bombycinum saec. XIII (qui ut ait Kayser, ,in caeteris Lucianeis praeter ,Neronem' magni aestimandus est'), deinde Palatinum 174 nitidissime scriptum in charta serica saec. XV. In utroque codice insunt etiam ,Philostrati Vitae Sophistarum'. Sed de Lucianeis nondum ne litera quidem conlata est uno excepto ,Nerone' opusculo Pseudolucianeo, ad quem Kayser Urbinatis varietatem a Th. Heysio accepit. Quantum igitur in Luciano Urbinati tribuendum sit, postea fortasse videro. Illud vero jam nunc confirmare licet, nullum unquam Luciani codicem repertum iri, qui cum Isocratis Urbinate (Γ) recte comparari possit. Plurimis enim locis J. Bekker primus ex hoc ipso libro Γ Isocrati pristinum splendorem certo reddidit atque hoc ipso de Isocrate praeclare meritus est. Contra in Luciano antiquos codd. et bonos consulere omnes, meliores crebro sequi, interdum etiam deteriores praeferre et in difficili loco omnia ponderare momenta cogimur. Ita Lucianum restituere neque hominis est unius neque aetatis, sed opus est labore conjuncto multorum. Sano enim

judicio lector valeat oportet, neque ubi ad mendas ventum est, ingenii quadam vi prorsus careat et mediocri divinatione. Quo magis gaudeo, quod nunc juvenes critici complures cum insigni fructu Lucianum tractare coeperunt. Hos omnes ego benevole invito, ut in egregiis studiis suis pergant fortissime neque ulla se vel difficultate vel molestia ab Luciano abduci patiantur. Ac ne numeros quidem, qui ionice *ῥυσμοὶ* dicuntur, tales philologi omnino negligent explodentque et Goerenzium rhythmicum multa temere fabulantem de ‚sono Tulliano' et Ramshornium grammaticum, qui in ‚grammatica latina' Ciceronis locum de Legg. I, 4: ‚Roscius in senectute numeros in cantu ceciderat' (sic) ita ad verbum interpretatus est: ‚Roscius war im Alter hinsichtlich des Tones gefallen!' Restat ut tabula librorum secundum vulgarem et nostrum ordinem addatur.

	vulgo	nunc
ΝΕΚΡΙΚΟΙ ΔΙΑΛΟΓΟΙ	X	27
ΧΑΡΩΝ	XII	28
ΚΑΤΑΠΛΟΥΣ	XVI	29.

Scribebam Rostochii a. d. IX Cal. Maj.
a. CIƆIƆCCCLXXXII.

PROLEGOMENA.

Librum ,Δημώνακτος Βίος' J. Bernaysius (in l. ,Lucian und die Kyniker' p. 105) duce J. Bekkero Luciani esse negavit. Cui viro E. Ziegeler (in Nov. Annal. Philol. editore A. Fleckeisen Vol. CXXIII, Fasc. V^{to} Lips. a. 1881) ita se opposuit, ut l. l. p. 329 Bernaysii argumentis optime refutatis illum librum Luciano ipsi egregie vindicaret atque mecum (in edit. Luciani Vol. II P. I p. 189) plane consentiret. Deinceps l. l. p. 330 sqq. E. Ziegeler opiniones A. Schwarzii (,über Lucians Demonax', Viennae a. 1878) bene redarguit. Nam ego de hac Schwarzii commentatione parum intellecta non habebam neque quid scriberem nec quomodo scriberem nec quid omnino non scriberem. Quem ego quum vidissem libellum ,Δημώνακτος Βίος' ob idoneas causas Luciano tribuere, sicut ego judicaram, virum merito coepi laudare. At mox obstupui quum legissem, quid de ipso Demonacte Schwarzio placeat: placet autem Schwarzio soli ,Demonactem philosophum nunquam vixisse'. Quo magis necessarium est Demonactis fragmenta, quae Rostochii a. 1866 primum edita sunt, ab me iterum in lucem proferri: quae si quis legerit, is Schwarzium fatebitur errorem ingentem commisisse ac paene incredibilem. Sed quae offensio librum Δημ. Βίος legenti objicitur, ea nunc demum tota videtur sublata esse. Etenim haec fragmenta id est breves gnomae, quarum pars aetatem tulit, ex ipsius Demonactis schedis paulo post mortem ab alio philosopho

videntur divulgatae esse. Ab philosopho, inquam, editore: cui singula quaeque adcurate excutienda erant videndumque, ne quid aut male deperiret aut pessime abundaret, hoc est ne Demonactea nunc falso traderentur vel prorsus deessent nunc alienis gnomis intrusis fide carerent. Contra Lucianus, cui haec quoque ἀποφθέγματα partim non poterant non notissima esse, tali editioni impar futurus erat. Quid igitur faceret, quum ipsi quoque philosophi diu amicissimi et summi viri laudatio scribenda esset gnomaeque laudatissimae tum ab philosopho optime ederentur? Fecit ille quod potuit: gnomis severis philosopho relictis alia quae edere non erat philosophi ipse supplevit, dicta jocosa et vere dicacia, jussitque nos, quo melius veram ac totam Demonactis memoriam teneremus, in hanc quoque partem Demonacteae vitae tanquam in speculum inspicere. Denique quaenam Samosatensem inter et cynicos aequales ratio intercesserit, ex hac ‚Demonactis vita' elucet clarissime. Quibus de rebus J. Bernaysius, cynicorum istorum patronus et accusator Luciani in libello quem supra dixi longe aliter sensisset, si Luciani dialogos et illorum temporum historiam probe cognitam habuisset. Nam Lucianus, qui veteres illos heroas Antisthenem, Diogenem, Cratetem, Menippum summo honore prosequi solebat, idem plerosque suae aetatis cynicos acerbe oderat, quos vidisset seditiosos cives esse et praeter alios etiam imperatori maledicere, ipsos autem spurcam vitam agere et flagitiosam. Contra Demonax cynicus, egregius vir et plane singularis Luciano videbatur cum veteribus quos dixi illius sectae philosophis comparandus esse. Ergo cum aequalibus cynicis ita in gratiam rediturus erat, si ipsi quoque tandem auderent sapere, Demonactem sequi potius quam Peregrinum et ad meliorem frugem reverti. Postremo ipsum quoque Marcum Antoninum, benignum imperatorem et philosophum Stoicum in eadem sententia perstitisse quum alia testimonio sunt tum illud maxime,

quod Theagenem cynicum domo evocatum Romae jussit scholas aperire. Ceterum dissertationem nostram de reliquiis Demonactis qualis Rostochii a. 1866 primum edita est, talem infra posui verbotenus repetitam.

Caput I.

De fragmentis Demonactis philosophi.

Gnomas, quae ad vitam bene beateque agendam pertinerent, non solum versibus poetae ediderunt gnomici, inprimis Theognis et Phocylides, verum etiam alias alii multi sermone scriptas pedestri. Quarum aliae (ut gnomae septem virorum sapientium) diu per ora tantum traditae sunt, aliae ut philosophorum et rhetorum etiam literis consignatae. At quum satis constet, quantopere vel ipse Theognis interpolatus sit: quid tandem his philosophorum sententiis accidisse putabimus? Nam hae quidem et genere toto breves exstiterunt et soluta fere oratione scriptae et in argumento eodem omnes versatae ideoque aliae aliis simillimae fuerunt. Itaque non sane mirandum est, quod easdem gnomas tam saepe non uni sed pluribus philosophis tribui videmus. Sed in eorum philosophorum numero, quorum gnomae in lucem editae sunt, etiam Demonax genere Cyprius, civitate Atheniensis ducendus est. Ac Lucianus quidem in Vita Demonactis c. 12—62 fin. haud pauca hujus philosophi acute dicta protulit, quae ut multum habent urbanitatis, ita philosophiam ipsam raro adtingunt. Sed praeterea aliae quaedam ejusdem Demonactis sententiae exstant philosopho et eo Epicteti, Demetrii, Timocratis alumno digniores, de quo altero dictorum genere nunc paucis exponam. Quorum nonnulla J. C. Orellius (in Opusculis Graec. veter. sentent. et moral. T. II p. 144 sqq.) ex Antonio sumta ne haec quidem omnia composuit, reliqua complecti, ut in Praefat. II p. VIII ipse professus est, neque voluit nec

sane potuit: critica vero arte prorsus abstinuit, qua in fragmentis vel maxime opus esse fugere potest neminem. Lucianus autem, qui Demonactis verba partim ipse audierit partim ab iis acceperit qui ipsi audissent, summam hic fidem meretur: praeter quem uni fere Stobaeo satis tuto credere licet, non item caeteris scriptoribus Florilegiorum. Horum enim alius dictum aliquod Demonacti tribuit. alius idem illud Epicteto rursum alius Clitarcho: ut in his tenebris difficile sit pedem non offendere. Qui ubi et inter se omnes consentiunt et Stobaeo repugnant, videndum est ne Stobaei hodierni lemma aliquid viti contraxerit. Certe S. Maximi (Confessoris) gnomologio (vol. II ed. Combefisi, Parisiis a. 1675, quam editionem nunc respicere non licet) olim me non sine fructu usum esse memini ad Stobaei lemmata hic illic emendanda. Itaque si quis gnomas quae Demonacti in his Florilegiis tribuuntur universas comprehenderit, de quarum parte diu ac multum dubitare licet: hoc saltem manebit, Demonactem sententias quasdam Antisthenis et ipsius Socratis gravitate dignas elocutum esse. Quo magis nostrum est, ab ipso exordiri Stobaeo et tunc demum caeterorum locos bonos malos, certos incertos quasi per saturam adponere. Tenendum est autem seriores (inprimis monachos) profanorum scriptorum flosculos. e Stobaeo potissimum delibasse, interdum etiam aliis velut Orionis anthologio in consilium adhibitis.

I.

Θνητοὶ γεγῶτες μὴ φρονεῖθ' ὑπὲρ θεούς.

Stob. Flor. *Περὶ ὑπεροψίας* tit. 22, 16: *Δημώνακτος. ‚θνητοὶ — θεούς'.* Idem versus est in Menandri monostichis 243: *θνητὸς πεφυκὼς μὴ φρονῆς ὑπέρθεα* (sic), ubi Stobaei lectionem Brunckius restituit.

II.

Κόλαζε κρίνων, ἀλλὰ μὴ θυμούμενος.

Anecd. Boiss. I p. 118: *Δημώνακτος· ‚κόλαζε — θυμούμενος'.* Ita enim Boissonadi codex. Apud Antonium

Serm. 77 *Περὶ θυμοῦ καὶ ὀργῆς* p. 133, 51 (ed. Genevensis) idem versus legitur sine nomine auctoris, sed proximus locus esse dicitur ‚Democriti vel secundum alios Demonactis'. Hic quoque versus est in Menandri gnomis monostichis 576. Orellius (I p. 120) versum nostrum infeliciter tribuit Democrito. Hinc Demonax pro comico male habitus est, quem potius tragicum poetam fuisse videri Meinekius in Hist. Com. p. 525, Nauckius in Trag. Gr. Fr. p. 643 et ego ipse ad Luc. Demonact. c. 1 judicavimus. At hodie ne tragicum quidem hoc nomine exstitisse censeo, sed hos duo senarios, quum gnomae eis contineantur, philosopho Demonacti tribuere vix dubito. Sane prior versus: ‚*θνητοὶ — θεούς*' ab antiquo tragico sumtus videtur, ut ab Euripide. Sed Demonacti licuit versibus uti etiam alienis, quippe qui plurimos poetas memoria teneret Luciano judice in Demonacte c. 4 init.: *ποιηταῖς σύντροφος ἐγένετο καὶ τῶν πλείστων ἐμέμνητο.*

III.

Δημῶναξ ἐρωτηθεὶς πότε ἤρξατο φιλοσοφεῖν· ὅτε καταγιγνώσκειν, ἔφη, ἐμαυτοῦ ἠρξάμην.

Stob. Flor. *Περὶ τοῦ γνῶθι σαυτόν* tit. 21, 8: *Δημώνακτος.* ‚*Δημ. — ἠρξάμην*', ubi pro *πότε* codex A habet *ἡνίκα.* Et hic quidem Demonactis locus quum praeclarus est, tum nihil habere videtur dubitationis.

IV.

Ἐξεταζόντων τινῶν εἰ ὁ κόσμος ἔμψυχος, καὶ αὖθις εἰ σφαιροειδής· ὑμεῖς, ἔφη, περὶ μὲν τοῦ κόσμου πολυπραγμονεῖτε, περὶ δὲ τῆς ἑαυτῶν ἀκοσμίας οὐ φροντίζετε.

Stob. Ecl. Phys. et Eth. II, 1, 11, ubi in Canteri editione p. 156 lemma *Δημώνακτος* plane deest, quod nunc bene receptum est e marg. cod. Escurialensis, qui in textu habet *δημῶναξ.* Nam Demonacti haec etiam Antonius adjudicat Serm. 37 p. 55, 17, qui hic quoque Stobaeum exscripsit itaque legit: "*Ἄλλων ἐξεταζόντων*

εἰ — ὑμεῖς, εἶπε, περὶ — οὐ φροντίζετε. Nempe cynicis, quos saepe Demonax sequebatur placuit, ut recte Diogenes L. VI, 103, cum dialecticis etiam physiceu tollendam et in solo virtutis studio elaborandum esse. Alio modo physicum philosophum Demonax noster ridet ap. Lucianum Vit. Demon. § 22. Itaque ne hic quidem locus habet dubitationem.

V.

Εἰσί τινες, οἳ τὸν παρόντα μὲν βίον οὐ ζῶσιν, ἀλλὰ παρασκευάζονται πολλῇ σπουδῇ, ὡς ἕτερόν τινα βίον βιωσόμενοι, οὐ τὸν παρόντα· καὶ ἐν τούτῳ παραλειπόμενος ὁ χρόνος οἴχεται.

Stob. Flor. *Περὶ φειδωλίας* tit. 16, 19: *'Αντιφῶντος. εἰσί — οἴχεται.* E Stobaeo haec Sauppius (Antiph. Fr. p. 150) inter Antiphonis fragmenta quasi in re certa recepit. At nonnihil scrupuli injicit optimus codex A, qui h. l. haec omnia: *'Αντιφῶντος. εἰσί* usque ad *βιωσόμενοι* omittat, paulo post autem 16, 29 cum caeteris libris ipse quoque hoc lemma *'Αντιφῶντος* tueatur. Hinc enim suspicio est, verba ipsa: *εἰσί τινες — βιωσόμενοι* ex alio codice recte suppleta, lemma autem *'Αντιφῶντος* ex inferiore illo loco 16, 29, qui simillime incipit: *"Εστι δέ τις λόγος, ὡς* — temere arreptum esse. Enimvero hic ipse Antiphonis locus (*Εἰσί τινες κ. τ. λ.*) ab Antonio palam ‚Demonacti' adsignatur in Serm. 140: *Περὶ πλούτου κ. τ. λ.* p. 222, 48, ubi ille ita legit: *Εἰσί τινες, οἳ τὸν μὲν παρόντα βίον* (sic) — *ὡς ἕτερον βίον* (sic) — *οὐ τὸν παρόντα* (nihil amplius, ultimis verbis septem omissis). Adparet autem unum eundemque unius scriptoris locum utrobique servatum esse, qui locus si Demonactis fuerit, ne potuerit quidem idem esse Antiphonis. Quare si deteriores libros Joannis Stobaei sequi placuerit, uni Antiphoni haec tribuenda sunt: sin Antonii in Melissa levitatem, uni nimirum Demonacti. De qua re mihi quidem non liquet: quanquam ad l. haud absimilem Luciani De Merc. Cond. § 30 fin. Antiphoni haec adtribui. Ceterum in Stobaeo,

qualis quidem nunc est, plures loci Demonactis non leguntur. Sed fortassis idem Stobaeus plenus adhuc et integer Demonactem nostrum etiam alibi nominarat. Certe Photius in Bibl. cod. 167 (p. 114 ed. B.) inter philosophos ab Stobaeo adlatos diserte etiam ‚Demonactem' reposuit.

VI.

Οἱ ἀπαίδευτοι καθάπερ οἱ ἁλιευόμενοι ἰχθύες ἑλκόμενοι σιγῶσι.

J. Damascenus Parallel. p. 153b ed. Sart: *Δημώνακτος. οἱ ἀπ. — σιγῶσι*· ubi *ἰχθῦς* legitur: at *ἰχθύες* in eodem Damasceni loco apud Gaisfordum pone Stobaeum T. IV p. 66. Demonacti haec tribuit etiam Antonius Serm. 134: *Περὶ παιδείας καὶ φιλοσοφίας* p. 209, 42, qui pro *ἰχθῦς* item legit *ἰχθύες*.

VII.

Τὰς μὲν πόλεις ἀναθήμασι, τὰς δὲ ψυχὰς μαθήμασι κοσμεῖν δεῖ.

J. Damascenus Parellel. p. 146b ed. S: *Δημόνακτος* (sic) *Ὑψαίου καὶ Σωκράτους. τὰς μὲν — κοσμεῖν δεῖ,* sive pone Stobaeum Gaisfordi T. IV p. 39, ubi *Δημώνακτος* scribitur. Verum Antonius Serm. 134 p. 207, 41, primum in fine legit *δεῖ κοσμεῖν* (hoc ordine), tum gnomen ipsam sumtam dicit e Democrito, vel secundum alios e Democrate, Isocrate et Epicteto. Nomina *Δημῶναξ, Δημοκράτης, Δημόκριτος, Δημόφιλος* saepius confusa sunt. Ut potior auctoritas sit J. Damasceni, qui Demonactem nominasse videtur, tamen sic quoque hoc dictum permultos habebit competitores. Habet hoc ipsum dictum etiam Maximus p. 207, 41, quem nunc inspicere non licet. Orellius (I p. 30) ex Jamblichi Adhort. ad Philos. C. II p. 15 ed. K. ita edidit: *κοσμητέον ἱερὸν μὲν ἀναθήμασι, τὴν δὲ ψυχὴν μαθήμασιν.*

VIII.

Ἡ τῶν περιστάσεων ἀνάγκη τοὺς μὲν φίλους δοκιμάζει, τοὺς δὲ ἐχθροὺς ἐλέγχει.

Arsenius ed. Gott. 12, 87[b]: Ἡ γὰρ περιστάσεων (sic) — ἐλέγχει. Δημώνακτος. Sed Apostolius 8, 71[d]: Ἡ τῶν περιστάσεων — ἐλέγχει. Ἰσοκράτους. Tum Antonius Serm. 135 Περὶ φίλων p. 214, 55 hanc gnomen sic adfert, ut dicto ex eis quae antecedunt paenultimo hoc lemma addat: ‚ex dictis et sententiis Epicteti, Isocratis et Democratis', quasi indidem omnia fluxerint dicta proxima sex. At saepe in Florilegiis perspexi (ut apud hunc ipsum Antonium), lemma ‚τοῦ αὐτοῦ' exiguam ac paene nullam fidem habere et quo quisque recentior sit, eo minorem: velut auctor Lipsiaci Florilegii hoc lemmate impudenter abuti solet. Hoc tamen Antonii loco ut illo lemmate non unum sed e sex locis tres minimum ordine primos contineri statuam, superius illud Apostolii me movet, qui tertium dictum adsignat ‚Isocrati'. Nam singulare gnomologium exstitisse videtur e dictis Isocratis, Epicteti et Democratis (vel Democriti), quantum ex hoc lemmate apud Antonium et Marcum frequenti colligo. Contra unico Antoni loco Serm. 134 p. 210, 11, ubi est: ‚Ex Demonacte, Isocrate et Epicteto' scribendum videtur: ‚Ex Democrate', — vel potius ‚Ex Democrito'. ‚Demonacti' enim nostro nihil hic loci relictum esse patebit conferenti Schweighaeuserum Ad Epicteti Fragmenta p. 179. Deinde Georgides in Boissonadi Anecd. I p. 42 hoc dictum ἡ — ἐλέγχει sine nomine adfert auctoris et in eisdem Anecd. III p. 470 idem illud inest sed bis flagitiose corruptum. Denique similem ac paene eandem gnomen ita contractam: ‚Περιστάσεις δοκιμάζουσι φίλους' Boissonadius (Anecd. I p. 132) in cod. Coislin. reperit sub nomine ‚Clitarchi'. Ita hanc ipsam gnomen: Ἡ — ἐλέγχει Arsenius tribuit Demonacti, Apostolius Isocrati, Antonius in Melissa fortasse sive Isocrati sive Epicteto sive Democrati, anonymus fortasse Clitarcho. Quo magis miror Uptonum aliosque hoc fragmentum uni adjudicasse Epicteto (fr. 154 ed. Schweigh.) praeter Boissonadium, qui in Anecd. I p. 132 recte observavit

superius illud Antonii lemma valde esse ambiguum. Atqui Uptonus hoc unico Antonii lemmate adeo abusus est, ut eo fretus Epictetum non una verum sex sententiis locupletare studeret atque etiam suspecto isti lemmati τοῦ αὐτοῦ fidem haberet immodicam. At e vocabulo περίστασις hanc gnomen sequitur Isocratis nullo modo esse posse, Epicteti necessario esse minime sequitur. Nam περίστασις non soli Stoici, ut ait Phrynichus in Epit. p. 376, de ‚calamitate' ponunt, sed omnino recentiores, ut Lucianus De Mort. Peregr. § 18 aliique apud Lobeckium l. l. Ceterum Demonax teste Luciano in Vit. Demon. § 10 amicitiae longe plurimum tribuere solebat. Vide infra fr. XVIII—XXI fin. [‚Democratem' philosophum haud ignobilem fuisse aut gnomas ullas unquam scriptas edidisse nego ac pernego. Nam ‚Democratem' Cobetus in Varr. Lect. p. 13 summo jure risit ut novum scriptorem, de quo nullus veterum vel fando inaudiverit. Et Cobetus quidem de uno loquitur Appendice Florentino, quo Johannis Damasceni gnomae continentur optimeque judicat confidenter ex hoc appendice ‚Democratem' istum ‚passim' expellendum esse. Alios tamen qui in eundem errorem inciderunt, ut Maximum et Antonium tum forte Cobetus nihil moratus est. Critici enim hoc tantummodo opus est, demonstrare quod aliud nomen sive unum sive plura sub falso isto ‚Democrate' lateat. Quae igitur ‚Democrati' vulgo dantur, ea omnia fere esse magni illius viri ‚Democriti' Burchardo duce statuit Mullachius (in ‚Democriti Fragm.' p. 164), post quem Cobetus in V. L. p. 13 eodem modo judicavit atque ‚Democratem passim expulit, ut Democritus tandem sua recuperet'. Neque dubitari potest, quin pro Δημοκράτης saepe Δημόκριτος corrigendum sit, cujusmodi locum paullo ante (no. VII) ipse adtuli. Attamen in hoc uno non insunt omnia. Immo alia nihil olent e Democriteis, alia Democrito dare ne per dialectum quidem licet. Haec igitur partim ‚Demonacti' nostro tribuere audeo. Nomi-

num enim ‚Democrates' et ‚Demonax' casus obliqui literis scripti nunc graecis nunc latinis perfacile confundi poterant. Sic Antonius supra sub II diserte: ‚Democriti, inquit, vel secundum alios Demonactis' et iterum sub num. XXIII ‚Democriti al. Demonactis'. Jam supra dixi nomina *Δημοκράτης*, *Δημόκριτος* et *Δημῶναξ* in codd. saepe confusa esse. Addere possum etiam *Δημοκράτης* et *Τιμοκράτης* confundi, quae res huc minus videtur pertinere. Nam Timocrates philosophus Heracleota isque Demonactis nostri magister gnomas nullas ediderat, nisi egregie fallor. Ex Addendis.]

IX.

Ἡ ἰσχὺς τοῦ σώματος μὴ γενέσθω τῆς ψυχῆς ἀσθένεια· ἰσχὺν δὲ ψυχῆς φρόνησιν νόμιζε.

Antonius S. 37 *Περὶ φρονήσεως καὶ βουλῆς* p. 38, 58: *Ἡ — νόμιζε* cum lemmate ‚*Δημόνακτος* (sic)'. At eandem gnomen ‚Clitarcho' tribuunt Maximus 2, 14, Arsenius ed. Gott. 8, 42[u], Florilegium Lipsiense p. 15 ed. Westerm. et tres codices Boissonadi in Anecd. I p. 132. Ita prope certum est, hanc gnomen Clitarchi esse, non esse Demonactis.

X.

Ἐν ἀλλοτρίοις παραδείγμασι παίδευε σεαυτὸν καὶ ἀπαθὴς τῶν κακῶν ἔσῃ.

Antonius S. 37 p. 39, 1: *ἐν — ἔσῃ* (post alium locum ‚Demonactis'). Demonactis est haec gnome etiam apud Maximum 2, 15 et in Arsenio ed. Gott. 7, 16[g]. Sed in Florilegio Lipsiensi p. 15 ed. Westerm. eadem non huic philosopho data est sed ‚Clitarcho', ubi est illud *τοῦ αὐτοῦ*. Quod qui primum scripsit, superiorem glossam *Ἡ ἰσχὺς — νόμιζε* non Clitarcho dederat sed Demonacti. Quare haec gnome omnium fere consensu esse videtur Demonactis. Simile dictum Terenti est (i. e. Menandri) in Heautont. II, 1, 9.

XI.

Αἱ μὲν χελιδόνες εὐδίαν ἡμῖν προσημαίνουσιν, οἱ δὲ ἐκ φιλοσοφίας λόγοι ἀλυπίαν.

Antonius S. 170 *Περὶ διδαχῆς κ. τ. λ.* p. 278, 10: *αἱ μὲν — ἀλυπίαν* cum hoc lemmate: ‚Moschionis al: Demonactis'. Sed Arsenius ed. Gott. I, 60^c: *αἱ μὲν — ἀλυπίαν. Δημώνακτος.* At ‚Demophilo' post alios tribuit Orellius I p. 8 Sent. 40 male legens: — *σημαίνουσιν ἡμῖν, οἱ δὲ φιλοσοφίας λόγοι τὴν ἀλυπίαν.*

XII.

Τοσοῦτον εἰς ἀρετὴν προσθήσεις, ὅσον ἂν ὑφέλῃς τῶν ἡδονῶν.

Antonius S. 1 *Περὶ βίου ἀρετῆς καὶ κακίας* p. 6, 19: *τοσοῦτον — ἡδονῶν* cum hoc lemmate: ‚Demonactis'. Eodem modo Florilegium Lips. p. 12 ed. West: *Δημώνακτος. τοσοῦτον — ἡδονῶν.*

XIII.

Αἰσχρὸν ἐν μὲν ἄλλοις ἀποδέχεσθαι τὰς ἀρετάς, ἐν ἑαυτοῖς δὲ ἔχειν τὰς κακίας.

Antonius S. 1 p. 6, 21: *αἰσχρὸν μὲν ἐν ἄλλοις* (sic) — *κακίας* post alium locum ‚Demonactis'. Florilegium Lips. p. 12: *τοῦ αὐτοῦ* (praecedit *Δημώνακτος*). *αἰσχρὸν μὲν ἐν ἄλλοις* (sic) — *κακίας.*

XIV.

Τοὺς τῶν σωμάτων ἐπιμελουμένους, ἑαυτῶν δὲ ἀμελοῦντας ὠνείδιζεν ὡς τῶν μὲν οἴκων ἐπιμελουμένους, τῶν δὲ ἐνοίκων ἀμελοῦντας.

Antonius S. 1 p. 6, 23: *τοὺς τῶν — ἀμελοῦντας* post duo locos ‚Demonactis'. Florilegium Lips. p. 12: *τοῦ αὐτοῦ* (praecedit *Δημώνακτος*). *τοὺς τῶν — ἀμελοῦντας.* Demonacti haec tribuunt etiam Maximus Confessor I, 49 et Arsenius p. 191 ed. Walz.

XV.

Δείκνυσιν ἡ μὲν τροπὴ τὸν κατ' ἀλήθειαν ἀνδρεῖον, ἡ δὲ ἀτυχία τὸν φρόνιμον.

Antonius S. 148 *Περὶ εὐτυχίας καὶ δυστυχίας* p. 238, 24: *δείκνυσιν — κατὰ ἀλήθειαν — φρόνιμον* cum hoc lemmate: ‚Demonactis'. [Continuo praecedit locus ambiguus, quem nescias, utrum Moschioni datus sit an Demonacti, hunc locum dico p. 238, 22: *Οὔτε οἱ*

ἄμουσοι τοῖς ὀργάνοις, οὔτε οἱ ἀπαίδευτοι ταῖς τύχαις δύνανται συναρμόσασθαι, quem ‚Socrati' dedit Orellius I p. 16 scribens *ταῖς ἀτυχίαις.*]

XVI.

Σοφιστοῦ τινος αἰτιωμένου αὐτὸν καὶ λέγοντος· διὰ τί με κακῶς λέγεις; ὅτι μὴ καταφρονεῖς, ἔφη, τοῦ κακῶς λέγοντος.

Antonius S. 53 *Περὶ ψόγου καὶ διαβολῆς* p. 79, 19: *Τινὸς σοφιστοῦ — τὸν κακῶς λέγοντα* (sic) cum lemmate ‚Demonax', cui favet etiam error librarii, qui lineae proximae pro *αὐτῷ* verba *‚τῷ Δημώνακτι'* intrusit. Genetivum *τοῦ κακῶς λέγοντος* Orellius II p. 146 recte substituit. In Luciani Demonacte cum sophistis saepe Demonax rixatur, ut § 12 sq. cum Favorino, § 14 cum Maximo Tyrio, cum cynico § 19, cum Peregrino § 21, alibi vel cum Apollonio vel Herode Attico.

XVII.

Τοῖς ὠσὶ πλέον ἢ τῇ γλώττῃ χρῶ.

Antonius S. 95 *Περὶ γλωσσαλγίας* p. 156, 54: *τοῖς — χρῶ* cum lemmate ‚Demonactis'. Confer Lucianum in Vit. Demon. § 51: — *ἐρομένῳ, πῶς ἂν ἄριστα ἄρξαι; ἀόργητος, ἔφη* (sc. *Δημῶναξ*), *καὶ ὀλίγα μὲν λαλῶν, πολλὰ δὲ ἀκούων.*

XVIII.

Ἐλάσσω κακὰ πάσχουσιν οἱ ἄνθρωποι ὑπὸ τῶν ἐχθρῶν ἢ ὑπὸ τῶν φίλων· τοὺς μὲν γὰρ ἐχθροὺς δεδιότες φυλάσσονται, τοῖς δὲ φίλοις ἀνεῳγμένοι εἰσὶ καὶ γίγνονται σφαλεροὶ καὶ εὐεπιβούλευτοι.

Antonius S. 137 *Περὶ φίλων μοχθηρῶν* p. 217, 19: *ἐλάσσω — γίνονται — εὐεπιβούλευτοι* cum lemmate ‚Demonactis'. Consentit Arsenius ed. Gotting. 7, 7ᵃ: *ἐλάσσω — γίνονται — εὐεπιβούλευτοι. Δημώνακτος.* Similia sunt dicta Aristophanis in Avibus v. 375 et Catonis in Ciceronis Laelio c. 24 § 90.

XIX.

Μυστήριον ἐν φιλίᾳ ἀκούσας, ὕστερον ἐχθρὸς γενό-

μενος μὴ ἐκφήνῃς· ἀδικεῖς γὰρ οὐ τὸν ἐχθρὸν ἀλλὰ τὴν φιλίαν.

Antonius S. 137 p. 217, 24: *μυστήριον — μὴ ἐκφάνῃς* (sic) — *φιλίαν* post alium locum ‚Demonactis'. Tum Excerpta Vindobonensia in Stobaeo IV p. 293 ed. Meinek: *Μυστήριον — μὴ ἐκφήνῃς — φιλίαν.* In his Excerptis unus locus praecedit Sexti philosophi: *Σέξτου. Μὴ — δεδωκώς,* tum undecim loci sequuntur sine nomine auctoris, quorum locorum noster ordine primus est. Nempe undecim loci sine auctoribus adlati sunt.

XX.

Μὴ κτῆσαι φίλον, ᾧ μὴ πάντα πιστεύεις.

Antonius S. 137 p. 217, 27: *μὴ — πιστεύεις* post duo locos ‚Demonactis'. Hinc Orellius II p. 146 inter Demonactis fragmenta hunc quoque locum recepit. At ipse Antonius paullo ante S. 135 *Περὶ φίλων κ. τ. λ.* p. 215, 7 post alium locum ‚Sexti' ita pergit: *Μὴ κτήσει* (sic) *φίλον, ᾧ μὴ πάντα πιστεύεις.* Ita liquet ab eodem Antonio locum eundem nunc Demonacti datum esse nunc Sexto. Et Sexto dedit idem Orellius I p. 244. Verus hujus sententiae parens, ut atticismus poscit, futuro usus erat: *Μὴ κτῆσαι φίλον, ᾧ μὴ πάντα πιστεύσεις.*

XXI.

Αἰτιωμένου τινὸς τῶν ἑταίρων αὐτὸν καὶ φήσαντος· οὐκ ἐχρῆν σε τῷ ἐχθρῷ μου φίλον εἶναι· σὲ μὲν οὖν, ἔφη, οὐκ ἐχρῆν τῷ φίλῳ μου ἐχθρὸν εἶναι.

Florilegium Lipsiense cap. VI *Περὶ φίλων καὶ φιλαδελφίας,* 15. *Δημώνακτος. αἰτιωμένου — ἐχθρὸν εἶναι.* Primum haec edidit A. Westermannus De Floril. Lips. p. 4 recteque post *οὐκ ἐχρῆν* pronomen *σε* ipse inseruit. Demonacte haec sententia eo dignior est, quo plus ille amicitiae tribuebat, de qua re supra ad Fr. VIII fin. dictum est.

XXII.

Ὁ λόγος ὥσπερ πλάστης ἀγαθὸς τῆς ψυχῆς περιτίθησι σχῆμα.

Antonius S. 170 *Περὶ διδαχῆς καὶ λόγων καὶ ὁμιλίας* p. 278, 19: *ὁ λόγος — σχῆμα* cum hoc lemmate ‚Demonactis'. At hunc ipsum locum ‚Socrati' dat Stobaeus Floril. LXXXI, 13, ubi verissimo scriptum est: *ὁ λόγος ὥσπερ πλάστης ἀγαθὸς καλὸν τῇ ψυχῇ περιτίθησι σχῆμα.* Denique Orellius I p. 4 hoc dictum male adsignat ‚Demophilo'.

XXIII.

Πλοῦτος· ἀπὸ κακῆς ἐργασίας ἐπιγενόμενος ἐπιφανέστερον ὄνειδος κέκτηται.

Antonius S. 41 *Περὶ πλεονεξίας κ. τ. λ.* p. 64, 19: *πλοῦτος — κέκτηται* cum lemmate: ‚Democriti al. Demonactis'. At paulo post idem Antonius eadem verba tribuit ‚Chiloni' scribens — *περιγινόμενος* et *τὸ ὄνειδος.* Recte vero Stobaeus Flor. X, 37 et ‚Democrito' dat et bene scribit: *‚πλοῦτος ἀπὸ κακῆς ἐργασίης περιγενόμενος ἐπιφανέστερον τὸ ὄνειδος κέκτηται'.* Iterat haec Stobaeus tit. 92, 15 emendante Burchhardo.

XXIV.

Χρήματα πορίζειν μὲν οὐκ ἀχρεῖον, ἐξ ἀδικίας δὲ πάντων κάκιον.

Antonius S. 41 p. 64, 21: *χρήματα — κάκιον* post illud ipsum lemma, quod modo diximus. At hic ‚Democriti' locus est, uti recte Stobaeus Flor. LXXXXV, 25, ubi exstat: *‚χρήματα πορίζειν μὲν οὐκ ἀχρεῖον, ἐξ ἀδικίης δὲ πάντως κάκιον'.* Scribe *ἀχρήιον* cum Meinekio. Male *πάντων κάκιον* habet etiam cod. Palatinus ap. Orellium I p. 501. Immo scribe; *πάντων κάκιστον.* Nam *πάντων* cum superlativo jungi solet ut *πάντων μάλιστα* ap. Plat. Conviv. p. 189, C.

Quodsi Marcum, qui Demonactis locos habet perpaucos, iterum evolvere licuisset, fortasse de uno alterove e superioribus locis attulissem paullo certiora. Non puto tamen multa me fugere potuisse, sed quemadmodum supra dixi, de compluribus locis anceps judicium est, sintne Clitarchi verba (ut hoc utar) an Sexti anne Demonactis. Haec igitur quae e Stobaei aliorumque

Florilegiis paullo ante attuli Demonactis acute dicta quum in Luciani recensione (Vit. Demon. § 12—63) ad unum omnia desint, ex alio prorsus fonte repetita esse liquet. Quae unde potissimum fluxerint inquirenti illud in oculos incurret, haec quoque apophthegmata non ore tradita sed consignata literis aetatem tulisse. Quamobrem paulo post mortem Demonactis alius philosophus et haec Demonactea et sine dubio alia generis ejusdem in lucem edidisse censendus est. Solebant enim illo ipso tempore philosophi hujus quoque argumenti libros edere, velut ille, cujus in Anthologiis mentio fit, Sextus, si is est Chaeronensis ille Stoicus, abs quo Marcus Antoninus (*Τῶν εἰς ἑαυτόν* I, 9) didicisse se fatetur etiam ,*τὸ καταληπτικῶς καὶ ὁδῷ ἐξευρετικόν τε καὶ τακτικὸν τῶν εἰς τὸν βίον ἀναγκαίων δογμάτων*‘. Inscriptio libri haec fere esse potuit: *Δημώνακτος διατριβαὶ* sive *διαλέξεις* sive *ὁμιλίαι*, sive (ut est apud Marcum Antoninum I, 7 fin.) *ὑπομνήματα*, quae eadem Epicteti librorum fuerat, unde tot sententiae nobis conservatae sunt. Verum ab his gnomis, quae in Florilegiis leguntur toto caelo distant ejusdem Demonactis eae sententiolae, quae ab Luciano in Vit. Demonact. § 12—62 fin. conlectae sunt. Nam apud Lucianum merae exstant facetiae, saepe illae scurra aliquo digniores quam philosopho: quibus enumerandis nihil aliud Lucianus nisi hoc unum ostendit, scivisse Demonactem etiam jocos movere et risum excitare, qui est vel tenuissimus ingeni fructus. Nec vero aut Lucianum Demonactis familiarem (ut ipse testatur § 1: *τῷ Δημώνακτι καὶ ἐπὶ μήκιστον συνεγενόμην*) severae hujus philosophi gnomae latere potuerunt, aut eum qui de philosophi vita scripturum professus esset, silentio tantam rem transire decuit, praesertim quum maximam libri sui partem sententiolis longe aliis opplevisset. Ita necessario sequeretur, Lucianum de Demonacte philosopho judicare omnino nescivisse, nisi ego in edit. mea Vol. II P. I p. 195 certo demonstrassem in Vita Demonactis § 11 fin. post v. *ἐκαλλιερήσατε*

magnam quandam lacunam permulta Luciani verba et ad extremum hanc ipsam sententiam hausisse: [multa vero et praeclara Demonactis fuerunt ἀποφθέγματα, alia severa et tanto philosopho digna, de quibus hic non est locus dicendi, alia jocosa et amoena.] βούλομαι δὲ ἔνια παραθέσθαι τῶν εὐστόχως τε ἅμα καὶ ἀστείως ὑπ' αὐτοῦ λελεγμένων κ. τ. ἑ. Ceterum et Lucianus qui veros philosophos magni aestimaret Demonactis consuetudine libenter usus est, neque Demonax (licet nimia philosophorum irrisione offendi posset) ab Luciano abhorruit: solebat enim Demonax ipse quoque (ut est in Vit. Demon. § 48) „μάλιστα πολεμεῖν τοῖς οὐ πρὸς ἀλήθειαν ἀλλὰ πρὸς ἐπίδειξιν φιλοσοφοῦσιν“. Denique ut facetias amborum hic omittam, ipsa religio videtur Demonactis et Luciani quasi quaedam copula fuisse: quorum utrique commune fuit superstitionis odium acerrimum, ut vix statui posset, uter eorum liberius de rebus sentiret divinis.

Lucianus quum dialogos scribere coepisset, tamen et genus dicendi forense atque speciem judiciorum nonnunquam servavit, ut in Judicio Vocalium, in Piscatore, in Bis Accusato, et argumenta rhetorica partim repetiit sicut in libello *Κατάπλους ἢ τύραννος*, quam dicere licet ‚tyranni accusationem‘ tametsi in formam dialogi redacta est. Nam superstites exercitationes, *Τυραννοκτόνος* et *Φάλαρις α΄. β΄* (sive *ὑπὲρ Φαλάριδος*, ut ait Photius in Biblioth. cod. no. 128 init.) rhetor multo ante ediderat. Quae ex hoc genere scriptiones genuinae ad nos pervenerunt, numero perpaucae sunt et omnes brevissimae. Atqui in Bis Accus. c. 32 ipse testatur, se jam quadraginta fere annos natum rhetoricae tandem valedixisse. Ex quo sequitur, complures *μελέτας*, quas juvenis ediderat, nunc interisse. Illud pro certo adfirmamus, libellum Luciani rhetoricum perisse, quo scripserat ‚*ἀριστέων ἐπαίνους*‘, sicut in Bis Accus. c. 32 ipse memoriae prodidit. De aliis Lucianeis, quae postmodo scripta item perierint, plus divinare licet quam scire, uno libro excepto *Σωστράτου βίος*, in quo verissima historia inerat sine ullo mendacio. Etsi in librorum editionem adeo ille pruriebat, ut ne mendaciis quidem monstruosis abstineret, quemadmodum gloriatur in Ver. Hist. I, 4: *ἐπεὶ μηδὲν ἀληθὲς ἱστορεῖν εἶχον, (οὐδὲν γὰρ ἐπεπόνθειν ἀξιόλογον), ἐπὶ τὸ ψεῦδος ἐτραπόμην*. Nimirum idem scriptor et Demonactis et paulo ante Sostrati vitam enarravit, id quod e Demonact. c. 1 sq. certo elucet. Ergo quum *Δημώνακτος βίος* liber

sit Luciani genuinus necesse est idem cadere in *Σωστράτου βίον* librum hodie deperditum. Tamen utrumque librum J. Bekker ab Luciano pessime abjudicavit decepitque J. Bernaysium (in l. Lucian und die Kyniker p. 104), cujus viri errores praetereo praesertim jam ab E. Ziegelero bene refutatos. Ceterum dissertatio mea de Luciani Sostrato primum Rostochii a. 1865 edita est. Hanc nunc infra posui verbotenus repetitam.

Caput II.

De Luciani Sostrato.

Ipso Demonactis initio Lucianus se Sostrati cujusdam Boeotii memoriam et res gestas literis mandasse easque in alio libro sigillatim persecutum esse demonstravit: qui liber non minus quam Demonactis Vita Luciani fuerat Samosatensis. Ceterum hic de Sostrato liber aetatem non tulit, sed totus usque eo obliteratus est, ut praeter pauca quaedam in Demonacte c. 1 verba ne fragmenta quidem ejus e Luciano ulla supersint. Verum enim Hemsterhusius in Praefat. ad Pollucem p. 29 praeclare vidit hunc Luciani Sostratum eundem fuisse, qui ab Philostrato in Vit. Soph. II, 1 c. 7 Agathio dictus est. Hemsterhusio autem omnes fere adsensi sunt, leviter dubitante solo Oleario ad Philostr. p. 552, cujus inscitiam Solanus ad Demon. 1 jure miratur. Quamobrem operae me pretium spero facturum esse, si Luciani et Philostrati locis inter se conlatis de libro illo Luciani hodie deperdito accuratius disserere instituam. Omittam tamen omnia ex genere historico, quae certo sciri nunc non possunt: quando (uti bene Solanus ad Demon. c. 1) quibus historia illorum temporum illustrari posset, in eo libro haud dubie multa fuerant, ut vel propterea haec jactura non exigua videatur. Ac primum quidem nomen viri de quo dicturi sumus *Σώστρατος* duobus tantum locis in Demon. 1 legitur, in quorum

altero omnes libri cum ipso Gorlicensi *περὶ μὲν οὖν Σωστράτου* scribunt, in priore autem idem Gorlicensis non ut vulgo *τὸν Βοιώτιον Σώστρατον* sed *τὸν βοιώτιον σώσαςρον* exhibet, in quo vitio etsi aliud nomen (ut *Σώπατρον*, vel *Σώσανδρον*, vel *Σώσαρχον*) latere videri potest, nemo tamen hac una de causa vulgatas *Σώστρατον* et *Σωστράτου* mutare audebit. Enimvero hic Sostratus Boeotius, cujus opera Lucianus latrones sua aetate caesos esse testatur, ante Solanum (ad Lucian. D. Mort. XXX, 1) cum Sostrato latrone, qui est apud Lucianum D. Mort. XXX et in Alexandro 4, pessime confusus erat: quem latronem alii post Solanum eum ipsum Sostratum latronem fuisse animadverterunt, qui teste Philippi epistola apud Demosthenem p. 162 ed. Reisk. ab Philippo olim Halonneso expulsus est. Boeotii autem Sostrati vitam Lucianus et Athenis scripsit, quo eum plerique a. P. C. N. 165 pervenisse existimant, et post obitum hujus Sostrati, qui non ante a. 177 mortem obiisse videtur, et paullo ante scripsit, quam Demonactis vitam ederet, quam antea dixi circa a. 180 conscriptam esse. Deinde elogium etsi cum libro ipso amissum est, vix tamen aptior inscriptio quam *ΣΩΣΤΡΑΤΟΥ ΒΙΟΣ* invenietur. Neque vero hunc dialogum fuisse opinor sed narrationem continuam praemisso (si forte) epistolio, sicut Alexandrum quasi epistolam Celso missam videmus, Cronio Peregrinum. Sed ad ipsa testimonia primum Luciani, tum etiam Philostrati transeundum est. Lucianea igitur a principio Demonactis partim conjecturae ope hunc in modum correxi: „*Ἔμελλεν ἄρα μηδὲ ὁ καθ' ἡμᾶς βίος τὸ παντάπασιν ἄμοιρος ἔσεσθαι ἀνδρῶν λόγου καὶ μνήμης ἀξίων, ἀλλὰ καὶ σώματος ἀρετὴν ὑπερφυᾶ καὶ γνώμην ἄκρως φιλόσοφον ἐκφανεῖν. λέγω δὲ εἴς τε τὸν Βοιώτιον Σώστρατον ἀναφέρων, ὃν Ἡρακλέα οἱ Ἕλληνες ἐκάλουν καὶ ᾤοντο εἶναι, καὶ μάλιστα εἰς Δημώνακτα τὸν φιλόσοφον, οὓς καὶ εἶδον αὐτὸς καὶ ἰδὼν ἐθαύμασα, θατέρῳ δὲ τῷ Δημώνακτι καὶ ἐπὶ μήκιστον συνεγενόμην. περὶ*

μὲν οὖν Σωστράτου ἐν ἄλλῳ βιβλίῳ γέγραπταί μοι καὶ δεδήλωται μέγεθός τε αὐτοῦ καὶ ἰσχύος ὑπερβολὴ καὶ ἡ ὕπαιθρος ἐν τῷ Παρνασῷ εὐνὴ καὶ ἡ ἐπίπονος δίαιτα καὶ τροφαὶ ὄρειοι καὶ ἔργα οὐκ ἀπῳδὰ τοῦ ὀνόματος καὶ ὅσα ἢ λῃστὰς ἀναιρῶν ἔπραξεν ἢ ὁδοποιῶν τὰ ἄβατα ἢ γεφυρῶν τὰ δύσπορα. περὶ δὲ Δημώνακτος' κ. τ. ἑ.*) 'Ex his efficitur, Sostrati Vitam minime satyrici generis, sed severam fuisse narrationem. Lucianus enim si quis alius noverat quum omnia tum quae ipse vidisset tanquam ob oculos posita luculentissime suavissimeque describere. Idem autem seriis miscere consuevit jocosa, quemadmodum Demonactis vitae urbanbs

---

*) Adnotatio critica nostra ad Demonactem § 1 haec est. τοπαντάπασιν ΦFabc. τοπαράπαν A. ἐκφανεῖν Cobetus V. L. p. 100, libri ἐκφαίνειν. Σώστρατον] σώσπστρον A. οἱ Ἕλληνες] οἱ om F. ἐπὶ μήκιστον A et v, ἐπιμήκιστον BΦFabc. ὑπαιθρας libri, ὑπαίθριος Belinus, quod atticis usitatius est et ipsi Luciano, qui idem certo etiam ὕπαιθρας usurpavit. vide mea De Atticism. Luc. I p. 15 et adde Lobeckium ad Phryn. p. 252 atque Blomfieldum ad Aesch. Prometh. v. 113 in Glossario. παρνασῷ A, παρνασσῷ ΦF et v. εὐνὴ καὶ ἡ ἐπίπονας δίαιτα] ita transposui, libri δίαιτα καὶ ἡ ἐπίπονας εὐνή. sic et δίαιτα καὶ τροφαί apte junguntur et illud ἡ ἐπίπονος δίαιτα quum per se recte dictum est, tum huic Sostrato venatori acerrimo plane convenit. deinde ὕπαιθρος εὐνή quod ego substitui etiam alibi exstat ut in Necyomant. 7 et ap. Hippocratem De Rat. Vict. In Morb. Ac. p. 391 ed. Foes. nempe ob similitudinem verborum καὶ ἡ ὕπαιθρος exciderant ante v. δίαιτα haec verba εὐνὴ καὶ ἡ ἐπίπονος et deinceps non ante sed post v. δίαιτα revocata sunt et malo quidem ordine: καὶ ἡ ἐπίπονος εὐνή. in librorum scriptura non ἡ ὕπαιθρος δίαιτα in offensu sunt, quae etiam in Abdicat. § 28 et alibi junguntur, sed ferri nequit ἡ ἐπίπονος εὐνή, dictio ne poetis quidem condonanda. hinc critici quum transpositione abstinuissent, plurimas frustra conjecturas excogitarunt, in his Jensius et Gesner: καὶ ἡ ἐπὶ πόας εὐνή, nuper autem Cobetus V. L. p. 149 et Dindorfius: καὶ ἡ ἐπ' ἠόνος εὐνή. λῃστὰς αἱρῶν AΦF et v, λῃστὰς αἴρων B et codex Parisinus, frustra probante Jacobitio. nihilo melior conjectura videtur Cobeti V. L. p. 149: λῃστὰς καθαίρων. equidem dudum scripsi: λῃστὰς ἀναιρῶν, conlato Appiano De Bello Mithrid. c. 96 fin.: λῃσταὶ δ' ἀνῃρέθησαν ἐν ταῖς μάχαις ἀμφὶ τοὺς μυρίους.

sales multosque lepores hujus philosophi inspersit. In universum tamen tantum abest, ut ludere in Sostrati Vita voluerit, ut Sostrati exemplo proposito id quod ipse dicit ostendere studuerit, ne sua quidem tam molli aetate viros memoria dignos defuisse et magna laude cumulatos. Viderat enim hunc virum neque solum corporis magnitudinem, robur ingens, victum durum et agrestem, cubile in Parnasso, verum etiam opera ne Herculi quidem infitianda admiratus erat, quum eum sciret nunc latrones sustulisse nunc locis inviis vias munivisse nunc pontes in saxis struxisse praeruptis. Sobrie tamen Lucianus judicavit, quippe qui verbis: *καὶ μάλιστα εἰς Δημώνακτα τὸν φιλόσοφον* Demonactem Sostrato anteposuerit. Non minus recte Tullius in Catone Maj. c. 10 de Milone Crotoniata judicat, qui bovem vivum humeris sustinuisse dicebatur: mavult autem Pythagorae sibi vires ingeni quam has corporis dari, ideo quod Milo non ex se unquam sit nobilitatus sed ex lateribus et lacertis suis. Sed de nomine *Ἡρακλῆς*, quod huic Sostrato datum scimus, ita habendum est. Qui se pro Hercule gerebant, non solum ignavi omnes derisi sunt, ut Callias in Aristoph. Ran. v. 431, sed etiam paullo fortiores, velut athletarum unus alterve (ut Hercules quidam pugil ap. Photium in Biblioth. p. 151 ed. Bekk., qui victus est) et universa gens Cynicorum. Ita Themiso cognomine ‚Hercules' Antiochi regis deliciae, de quo vide Athenaeum VII p. 289, f. et X p. 438, d cum Aeliano V. H. 2, 41, conlato Polybio 5, 79 et 5, 82, haud dubie multis vel odio fuit vel irrisui, quum praesertim etiam sacra sibi vulgo fieri jussisset. Ita Nicostratus Argivus, cujus virtutem Diodorus XVI, 44 laudat, tamen ludibrio fuit, quod quum comitiali morbo (*τῇ Ἡρακλείᾳ νόσῳ*) laborasset, vestitum sumsit Herculis, ridente Ephippo comico ap. Athen. VII p. 289, b: *Νικόστρατος δ' ἀργεῖος ἕτερος Ἡρακλῆς;* Quorum hominum vanitas per totas adeo comoedias exagitata est et a Pherecrate, qui in *Ψευδη*-

ϱακλεῖ fortasse certum hominem traduxerat, et qui genus eorum universum castigarat in cognomine fabula, ab Menandro. Et Menandrei quidem habitum Plutarchus descripsit in Moral. p. 59, e: ἐν κωμῳδίᾳ Μενάνδρου Ψευδηρακλῆς πρόεισι ῥόπαλον κομίζων οὐ στιβαρὸν οὐδ' ἰσχυρὸν, ἀλλὰ ‚χαῦνόν τι, πλάσμα καὶ διάκενον,' quae postrema verba Meinekius in edit. min. p. 966 recte ipsi Menandro tribuit, praemisso hoc versu ejusdem fabulae ap. Stobaeum Flor. XVI, 10: ἀστοργίαν ἔχει τιν' ὁ σκληρὸς βίος. Aliud Menandri fragmentum ap. schol. Odyss. β', 10: καὶ ὁ Μένανδρος· ‚ἐλεύθερόν τι τόλμης εἶ, πονεῖν θήραν λέγοντας, ὅπλα βαστάζειν' quum Buttmannus editor p. 49 sic emendasset:

ἐλεύθερόν τι τολμήσει πονεῖν,
θηρᾶν λέοντας, ὅπλα βαστάζειν,

M. Hauptius (in Praefat. Ind. Lectt. in Univers. Berol. hième 1855/56 p. 6) non solum emendationem optime perfecit hoc modo:

ἐλεύθερόν τι τολμήσει πονεῖν,
θηρᾶν λέοντας, ῥόπαλα βαστάζειν,

verum etiam hoc fragmentum docuit ad Menandri fabulam Ψευδηρακλῆς referendum esse. Jam de Commodo imperatore Ael. Lampridius in Commodo c. 8 haec scripsit: ‚appellatus est etiam Romanus Hercules, quod feras Lanuvii in amphitheatro occidisset'.*) Ceterum hic quoque falsus fuit Hercules, quem ideo Xiphilinus e Dione 52, 15 diris devovit, Herodianus autem 1, 14 magnopere derisit. Caracalla etiam si non parem, at similem virtutem jactavit, qui ut est ap. Ael. Spartianum in Caracallo c. 5 quum contra leonem stetisset,

*) Unus alterve Romanorum propter fortitudinem etiam ‚Achilles' cognominatus est teste Valerio Max. III, 2, 21. Prae caeteris vero unius virtutem graeci latinique scriptores certatim praedicarunt, L. Siccii (vel ‚Sicinii') Dentati, quem praeter Festum A. Gellius II, 11 dicit ob ingentem fortitudinem appellatum esse Achillem Romanum. Et de hoc quidem viro Niebuhrius in Hist. Rom. II p. 390 sq. disputavit.

missis ad amicos literis ad Herculis se virtutem accessisse gloriatus est. Ante hos Nero perfossionem Isthmi auspicatus, ut ait Pseudolucianus in Nerone c. 3, Herculem sibi superasse visus est. Praeterea suspicio est pro Hercule quodam haberi voluisse et eum, qui a Plinio N. H. VII, 26 § 95 cum Hercule aequatur, et in cujus aede Herculis statua fuit (ita Vitruvius III, 3, 5 et Plinius N. H. XXXIV, 8 § 57) Pompejum, qui ante pugnam Pharsalicam partibus suis tesseram dederit Ἡρακλέα ἀνίκητον auctore Appiano B. Civ. II, 76, et Augustum, quem Horatius non temere cum Hercule toties comparavit (Od. III, 3, 9—12. III, 14. 1. IV, 5, 36), et Caligulam, quem (ut ait Suetonius c. 8) Gaetulicus per adulationem mentitus erat Tiburi genitum esse, scilicet in urbe Herculi sacra. Sed fuit inter reges quum ab Heraclidis oriundus, tum ipse germanissimus Hercules, unus ille quo viro fortiorem natum arbitror neminem, Alexander Macedo, qui cum Hercule exaequatus est (ut ab Menandro rhetore in Rhetorr. Gr. IX p. 246 Walz.) atque ipse Herculem aemulari solitus (de quo Arrianus Anab. III, 3, 2 et IV, 28, 4 cum Curtio IX, 2, 29 consentit) usque eo, ut Herculis res gestas etiam superare studeret (v. Justinum XII, 7, 13). E Romanorum autem imperatoribus scio, qui hunc honorem partim vere consecutus sit, Maximinum, de quo haec habet J. Capitolinus in Maximinis c. 6: ‚alii denique eum Crotoniatem Milonem, alii Herculem, Antaeum alii vocarunt‘. Praeterea Spanhemius De Praest. et Usu Num. T. II p. 493 sqq. demonstravit ‚Herculis‘ cognomen datum esse etiam Dominitiano, Severo, Aemiliano et inprimis Maximiano ‚Herculio‘ (sive ‚Herculi‘ ap. Claudianum De Bell. Gild. v. 418 aliosque) atque hoc ‚Herculis‘ cognomen etiam diutius mansisse, ita ut Constantius quoque et Constantinus ‚Herculii‘ dicerentur. Hanc vero insolentiam quum alii scriptores christiani, tum gravissime castigavit Lactantius De Mort. Persec. c. 52: ‚ubi sunt, inquit, modo, magnifica illa et clara

per gentes Joviorum et Herculiorum cognomina, quae primum a Dioclete ac Maximiano insolenter assumta ac postmodum ad successores eorum translata viguerunt? Nempe delevit ea dominus et erasit de terra‘. Ceterum quem honorem tot imperatores frustra expetiverunt, is honos omnium consensione ultro contigit filio bubulci, Sostrato, Boeotio, de quo l. l. ita Lucianus scripsit: *ὃν Ἡρακλέα οἱ Ἕλληνες ἐκάλουν καὶ ᾤοντο εἶναι.* Quum tamen alii imperatores hunc vel similem honorem sibi in medio positum contemserint uti Vespasianus (ap. Suetonium c. 12), Trajanus et qui Veneris se radice quam Herculis genitum maluit C. Julius, et Hadrianus ‚Olympius‘ et Diocletianus ‚Jovius‘: cavendum est ne huic nomini plus justo tribuatur. Certe Lucianus, magnus superstitionum osor tum id quoque egerat, ut virum quem dixi vero nomine Sostratum, genere Boeotium minime semideum sed hominem fuisse demonstraret. Neminem autem fugit, omnes magnarum virium, qui fecissent fortiter, Herculis nomine vocatos esse, id quod e Varrone et aliis Servius ad Verg. Aen. VIII, 203 et ad v. 564 tradidit, atque adeo (ut Taciti verbis in Germania c. 34 utar) quidquid ubique magnificum esset, ad Herculis claritatem relatum esse. Quare Lucianus Sostratum quoque quasi quendam Herculem fortiter fecisse ostenderat et laude dignum fuisse atque admiratione, ut hominem scilicet. Itaque ne Lucianus quidem impedimento fuit, quin de Sostrato tritum illud ‚*ἄλλος οὗτος Ἡρακλῆς*‘ vulgo Graeci usurparent: quod proverbium quam vim habuerit, Plutarchus in Theseo c. 29 unus optime declaravit. Nam de illo id dici solebat, qui ‚hominum juvandorum causa solus ac sine ullo socio magnos labores exantlasset‘. Quod nisi hoc dictum in homines sat multos conveniret, fieri non potuisset, ut res in tam pervagatum abiret proverbium. Unum omnino scio heroa, de quo id (teste praeter alios Plutarcho l. l.) dictum sit, Theseum; caeteros enim homines fuisse satis constabat. Sed Lucianus, ut opinor,

Sostratum suum et ab herois virtute et longius etiam ab eorum hominum humilitate dixerat abfuisse, qui ut Nicostratus cum irrisione ἕτερος Ἡρακλῆς dicti erant. Denique Sostratum suum vel cum Milone Crotoniata compararat, vel simillimum fuisse dixerat non minus antiquo viro, Titormo Aetolo, pastori vel athletae, a quo Aelianus in Varr. Hist. XII, 22 et ex eo schol. Luciani p. 127 Jacob. proverbium illud dicunt fluxisse. Ejusdem viri ab Herodoto VI, 127, Athenaeo X p. 412 f et Luciano De Hist. Conscr. c. 34 fin. mentio injecta est, ex quibus Herodotus Titormum scribit vitam egisse solitariam, quae res partim etiam in Sostratum nostrum cadere videtur. De Athenaei autem loco Meinekius in Anal. Alex. p. 249 verissime judiçavit. Adde Maximum Tyrium Diss. VII p. 110 Reisk., qui in Titormo longitudinem corporis admiratur. De ipso hoc proverbio Leutschius ad Diogenianum p. 190 plura conlegit, omisso qui proverbium aliter explicavit, Pausania X, 13, 4. Sed qualem Herculem Graeci hunc Sostratum et dixerint et vere esse putarint, operae pretium est quaerere. Nam de ‚Hercule rustico' ita scripsit Lampridius in Commodo c. 10 fin.: ‚Habuit (Commodus) et hominem pene prominente ultra modum animalium, quem ὄνον appellabat, sibi carissimum, quem et ditavit et sacerdotio Herculis rustici praeposuit'. *) Ubi Herculem rusticum, in quem nulla cadit theocrasia, Salmasius frustra conjecit ‚Herculem Silvanum' fuisse, deum ex duobus concretum, quasi dicas Πανηρακλῆς, uti Tullius

*) Alibi Herculis sacerdos vir est honestus, interdum etiam magna dignitate praeditus, veluti Marsyas historicus et idem Herculis sacerdos ap. Athen. XI p. 467, c. Nam quod Herculis sacerdos ap. Plutarchum Quaestt. Gr. 58 apud Coos festo tempore pallam et mitram gestasse dicitur, id etiam cum aliis viris idem festum celebrantibus Nicomachus ap. Lydum De Mensibus p. 81 Bekk. communicat. Omninoque ea res ad religiones videtur pertinuisse. Confer O. Müllerum in l. Die Dorier I p. 452 et Lobeckium in Aglaoph. p. 177.

[illegible]

[illegible] Pinium [illegible] Hercules [illegible] § 83. qui hominis eximiis viribus enumerans haec addit: M. Varro [illegible] Herculis appellatum [illegible] Fusius. Alter Luciani in Jove Trag. § 32. ubi Juppiter Herculem viribus abusurum his verbis castigat: *Ἡρακλεις, ὦ Ἡρακλεις, ἄγροικον τοῦτ' εἴρηκας καὶ δεινῶς Βοιώτιον* —. Etsi autem Romae plures in ipsa urbe Hercules dedicati erant, nullius tamen rustici Herculis qui ruri dedicatus erat. Herculem musicum Statii Silv. III. 1. 51 sive Herculem Musarum Plinii N. H. XXXV. 8 § 66 oppositum fuisse. Quumque Hercules rusticus Graecis *Ἡρακλῆς ἄγροικος* et rusticellus *Ἡρακλῆς ἀγροικότερος* (*sive ἐπάγροικος*) fuisse videatur: Sostratum nostrum ab Graecis *Ἡρακλέα ἄγροικον* dictum esse colligitur. Restat Philostrati memoria in Vit. Soph. II. 1 c. 7, cujus scriptoris Agathionem ab Sostrato Luciani nihil differre Hemsterhusius (Praef. ad Poll. p. 29) non demonstravit sed indicavit verbo ut in re manifesta. Nam et aetas utriusque et Herculis nomen et Boeotia patria et Parnassi cubile et vires ingentes plane conveniunt et omnia uno excepto nomine *Σώστρατος*, quod habet Lucianus, Philostratus non habet: ceterum hujus quoque nominis ab Philostrato omissi causa ratioque reddi certissima potest. Etenim Philostratus paullo ante c. 6 sermonem Herodis attici tum senis cum Ctesidemo Atheniensi et eo juvene habitum et ab ipso Ctesidemo

acceptum enarravit: in quo colloquio extremo ab Herode (ut mea olim conjectura fuit) Herculis (i. e. Sostrati) mentio facta erat, quae verba nunc ab libris absunt omnibus. Sed quae deinceps c. 7 de Agathione tradita sunt, ea omnia Philostratus ex Herodis epistola ad Julianum data repetiit, ut ipse c. 7 init. his verbis fatetur: *διαγράφει δὲ αὐτὸν ὁ Ἡρώδης ἐν μιᾷ τῶν πρὸς τὸν Ἰουλιανὸν ἐπιστολῶν.* Luciani autem librum „*Σωστράτου Βίος*" Philostratus non viderat, assiduus caeteroquin Luciani lector, quem eundem homo superstitiosus odio occaecatus omnino nusquam nominavit. Quis Julianus ille fuerit, vir haud dubie nobilis ad quem Herodis literae datae erant, propterea definiri nequit, quod plures tum Juliani floruerunt, ut Salvius Julianus, qui ab Commodo occisus est (testibus quum aliis tum Lampridio in Commodo c. 3 et c. 4), Salvius Julianus, qui paullo post Commodum (a. 193) imperavit, Claudius Julianus Naucellius (ap. Frontonem p. 281. et p. 291 sq. ed. Rom.), Sextus Calpurnius Julianus (ap. eundem Frontonem p. 262 ed. Rom.) et alii Juliani: neque Sostrati rerum interest, quis ex tot Julianis epistolam potissimum acceperit, decerni. Veruntamen corpus epistolarum Herodis jam editum erat Philostrati aetate, qui in V. S. p. 537 et p. 539 Herodis epistolas ad Varum consulem datas commemorat. Easdem Herodis epistolas legerat etiam et de iis in universum judicavit is Philostratus, qui epistolam ad Aspasium scripsit p. 916 ed. Olear. (sive p. 364 Kayser). Sed apud Philostratum Herodes senex cum Ctesidemo colloquens dolet, quod sibi non licuerit viri opus quasi quoddam monumentum posteritati relinquere et inprimis perfossionem Isthmi, quam pariter atque ante eum Nero animo agitarat. Tum ita Herodes pergit: *ἡ δὲ τοῦ Ἰσθμοῦ τομὴ ἔργον ἀθάνατον καὶ ἀπιστούμενον τῇ φύσει· δοκεῖ γάρ μοι τὸ ῥῆξαι τὸν Ἰσθμὸν Ποσειδῶνος δεῖσθαι ἢ ἀνδρός, ὃν ἐκάλουν οἱ πολλοὶ Ἡρώδου Ἡρακλέα.* Continuo ipse Philostratus pergit: *νεανίας* [*οὗτος*]

ἦν ἐν ὑπήνῃ πρώτῃ —. Ut supra posui, non solum edd. Kayseriana priores sed ipsi codices (CE) interpungunt. Quam distinctionem Kayser ita mutavit, ut Herodis oratio desinat in verba *Ποσειδῶνος δεῖσθαι τ̃ ἀνδρός*, ac tum Philostratus pergat: *Ὃν* (*ὃν δὲ* Kayser conjecit) *ἐκάλουν οἱ πολλοὶ Ἡρώδου Ἡρακλέα, νεανίας οὗτος ἦν ἐν ὑπήνῃ πρώτῃ*. Et vulgatam quidem distinctionem nimis absurdam esse apparet etiam caeco, quam ne Kayser quidem omnino persanavit duplici vitio vel illato vel relicto. Mirabile est enim, quod Agathio non infans sed adolescens primae lanuginis et jam natus esse et tota vita permansisse dicitur: quod utrumque in Kayseri editione Philostratus sane dicit isque historicus, non jam narrator portenti. Immo vero Agathionem Philostratus dicere debet adolescentem primae lanuginis fuisse aetate Herodis, hoc est eo ipso anno, quo Herodes in epistola ad Julianum data hunc Agathionem descripserat. Alterum autem vitium idque omnibus edd. commune in verbis *Ἡρώδου Ἡρακλέα* cernitur. Neque enim fieri potest, ut Agathio ‚Herodis Hercules' dicatur, licet hoc ipsum Solanus defenderit ad Luc. Demon. 1: ‚Herodis Herculem, inquit, teste Philostrato vocabant: quia ab Herode in epistola longiore celebratus fuerat'. At hic Agathio nominis gloriam acquisierat suis ipsius factis, quae nemo tum ignorabat, non sane Herodis epistola, quam non noverant nisi paucissimi. Quid, quod ipse Philostratus paullo post eum bis dicit *Ἡρακλέα* simpliciter appellatum esse p. 553: *γενέσθαι δὲ τὸν Ἡρακλέα τοῦτον οἱ μὲν γηγενῆ φασιν* et mox iterum: *ἤρετό τε τὸν Ἡρακλέα τοῦτον ὁ Ἡρώδης* —, quam rem certo Lucianus confirmat in Demon. 1: *τὸν Βοιώτιον Σώστρατον —, ὃν Ἡρακλέα οἱ Ἕλληνες ἐκάλουν καὶ ᾤοντο εἶναι*. Equidem et interductu Kayseri et conjectura *ὃν δὲ* pro v. *ὃν* probata ipse pro istis *Ἡρώδου Ἡρακλέα* scribendum esse *Ἡρακλέα, ἐφ' Ἡρώδου* censeo: *Ὃν δ' ἐκάλουν οἱ πολλοὶ Ἡρακλέα, ἐφ' Ἡρώδου νεανίας ἦν ἐν ὑπήνῃ πρώτῃ* —.

Scripsi autem dubitanter cum edd. ante Olearium νεανίας ἦν, non ut codices exhibent: νεανίας οὗτος ἦν. Sin quis pronomen defendet, hac transpositione uti debebit: Ὃν δ' ἐκάλουν οἱ πολλοὶ Ἡρακλέα, οὗτος ἐφ' Ἡρώδου νεανίας ἦν —. Dudum tamen vereor, ne hic locus sit etiam mutilus verbis aliquot inter ἢ ἀνδρὸς et ὃν temere omissis. Neque enim Kayser codicum scripturam ἢ ἀνδρός negare debuit sollicitandam fuisse, quippe quae spectet superiora, 15: διανοίας δηλούσης ἄνδρα, quibus verbis supplementum nostrum minime repugnat. Primum enim quod Kayser Herodis orationem hisce verbis concludi jussit: Ποσειδῶνος δεῖσθαι ἢ ἀνδρός, id vel per se non rhetoricum est sed frigidum: ita enim certo exspectes contrarium: ἀνδρὸς δεῖσθαι ἢ Ποσειδῶνος. Tum Philostratus ex his ipsis verbis adhuc integris: ἢ ἀνδρὸς [οἵου τοῦ Ἡρακλέους] didicit Agathioni cognomen ‚Herculis‘ fuisse: quod cognomen in Herodis epistola nondum legi poterat, Ctesidemo autem, a quo solo id Philostratus acceperat, minime erat ignotum. Deinde Philostratus, qui in Herodis vita brevitati studet, tot rebus multo gravioribus vel plane omissis vel (ut Demostrati controversia) leviter perstrictis Agathionem hic vix apte memorare potuisset, nisi eum praegressa in Herodis verbis mentio ‚Herculis cujusdam‘ coegisset de hoc Hercule lectores reddere certiores. Denique ipsa sententia prava est saneque perversa. ‚Isthmi perfossio, inquit, opus est immortale et naturae prope negatum humanae: videtur enim mihi Isthmi perfossio Neptuno indigere *aut viro*.‘ Quo tandem viro? Immo neque alio viro, neque Herode, qui se huic ipsi operi sufficere modo negarat: neque enim viro, quantumvis sit fortis et plane vir, datum est opera edere divina. Nempe pro verbis ἢ ἀνδρὸς mentione opus est Agathionis, cui ab ipso Herode in literis illis mox p. 554 δαιμονία φύσις tribuitur. Minime igitur hoc dicere Herodes potest, perfossionem Neptunum exposcere *aut virum*, sed *aut talem virum, qualis hic sit Hercules.*

Etenim hoc viro, in quem Lucianus quoque in Demon. 1 ‚facta ab Herculis nomine non absona' contulit, plane opus fuit ad Isthmum perforandum. Similiter viri et herois notiones Plinius conjunxit in N. H. XXXV, 10 § 74: ‚pinxit (Timanthes) et heroa absolutissimi operis, artem ipsam complexus viros (ita recte codd. optimi; alii vires) pingendi —.' Ex quibus omnibus hunc l. sequitur mutilatum esse. Scripserat autem Philostratus: *Ποσειδῶνος δεῖσθαι ἢ ἀνδρὸς* [*οἷον τοῦ Ἡρακλέους.*]' *Ὃν* —. Et lenis correctio est et locutio attica, qua quum alii tum Xenophon in Memorabil. II, 9, 3: *χαριζόμενον οἵῳ σοὶ ἀνδρί* et Lucianus in Alexandro 20: *τὸ μηχάνημα τοῦτο ἀνδρὶ μὲν οἵῳ σοί, εἰ δὲ μὴ φορτικὸν εἰπεῖν, καὶ οἵῳ ἐμοὶ πρόδηλον* usi sunt. Sed aliquando finem. Nam universum hunc locum ita scribendum esse contendo: *δοκεῖ γάρ μοι τὸ ῥῆξαι τὸν Ἰσθμὸν Ποσειδῶνος δεῖσθαι ἢ ἀνδρὸς οἷον τοῦ Ἡρακλέους.*' *Ὃν δ' ἐκάλουν οἱ πολλοὶ Ἡρακλέα, οὗτος ἐφ' Ἡρώδου νεανίας ἦν ἐν ὑπήνῃ πρώτῃ* —. Ceterum Herodis ad Julianum epistola multo prius scripta erat, quam idem Herodes jam senex factus cum Ctesidemo colloqueretur. Quae temporum rationes ipsae quoque supplemento nostro *οἷον τοῦ Ἡρακλέους* optime congruunt. Nam in epistola ad Julianum Agathio noster nondum est vir (*ἀνήρ*), sed primae dubiaeque lanuginis adolescens. Quodsi recte habet supplementum meum *οἷον τοῦ Ἡρακλέους*, Sostratus noster vir fuit sene jam Herode h. e. a. 170. Sed ejusdem Sostrati vitam ut recens mortui Lucianus ante Demonactis vitam i. e. a. 179 ediderat. Atque etsi mortis genus nemo tradidit, tamen non mirum est, Sostratum, qui tot vitae periculis quotidie expositus esset et jam adolescentulus Philostrato auctore cum feris belluis depugnaret exceptasque corpore cicatrices ostenderet, senectutem, quam ipse sperarat longissimam, omnino non adeptum esse. Quaecunque autem apud Philostratum c. VII ex Herodis literis depromta legimus, ea tantum abest ut exspecta-

tionem nostram expleant, ut Lucianei libri augeant desiderium. Herodes enim de Sostrato scripserat ut de miro adolescentulo, Lucianus vero omnem Sostrati vitam ac potissimum res ab eodem jam viro gestas erat complexus. Herodes quasi de heroë quodam quum alia scripserat tum c. VII init.: *Κελτῷ μεγάλῳ ἴσος καὶ ἐς ὀκτὼ πόδας τὸ μέγεθος*, Lucianus autem qui in Demon. 1 habet: *δεδήλωται μέγεθος αὐτοῦ* ubique de eodem ut homine non ut de heroë erat locutus. Ceterum de longitudine veri Herculis O. Müller (Die Dorier Parte II p. 449) bene disseruit. Tamen quae c. VII init. ex Herode Philostratus de corpore Sostrati et de habitu atque vestitu scripsit, ea aliis verbis etiam ab Luciano videntur scripta fuisse, haec dico: *κομᾶν τε ξυμμέτρως καὶ τῶν ὀφρύων λασίως ἔχειν, ἃς καὶ ξυμβάλλειν ἀλλήλαις οἷον μίαν, χαροπήν τε ἀκτῖνα ἐκ τῶν ὀμμάτων ἐκδίδοσθαι παρεχομένην τι ὁρμῆς ἦθος, καὶ γρυπὸν εἶναι καὶ εὐτραφῶς ἔχοντα τοῦ αὐχένος· τουτὶ δὲ ἐκ πόνων ἥκειν αὐτῷ μᾶλλον ἢ σίτου. εἶναι δὲ αὐτῷ καὶ στέρνα εὐπαγῆ καὶ ξὺν ὥρᾳ κατεσκληκότα, καὶ κνήμην μικρὸν ἐς τὰ ἔξω κυρτουμένην καὶ παρέχουσαν τῇ βάσει τὸ εὖ βεβηκέναι. ἐνῆφθαι δὲ αὐτὸν καὶ δορὰς λύκων, ῥαπτὸν ἔσθημα, ἄθλους τε ποιεῖσθαι τοὺς ἀγρίους τῶν συῶν καὶ τοὺς θῶας καὶ τοὺς λύκους καὶ τῶν ταύρων τοὺς ὑβρίζοντας· καὶ ὠτειλὰς δὲ δεικνύναι τούτων τῶν ἀγώνων.* In proximis verbis primum pro vulgata *ἐν τῷ Βοιωτίῳ δήμῳ* Kayser e codd. *ἐν τῷ Βοιωτίῳ Δηλίῳ* optime restituit. Postea libri omnes *γυνὴ βουκόλος* legere videntur, quod ob verba inferiora *οὕτω τι ἐπερρωμένη, ὡς βουκολεῖν* ferri nequit. Equidem corrigo: *γυνὴ βουκόλου* ,uxor bubulci', non obstante huic sententiae patre Marathone. Sic Alcmena Amphitruonis uxor non e marito sed ex Jove Herculem peperit. Ita igitur Philostratus ex Herodis epistola pergit: *γενέσθαι δὲ τὸν Ἡρακλέα τοῦτον οἱ μὲν γηγενῆ φασιν ἐν τῷ Βοιωτίῳ Δηλίῳ, Ἡρώδης δὲ ἀκοῦσαι λέγοντός φησιν, ὡς μήτηρ μὲν αὐτῷ γένοιτο γυνὴ βουκόλου*

(*βουκόλος* libri), *οὕτω τι ἐπερρωμένη ὡς βουκολεῖν, πατὴρ δὲ Μαραθὼν, οὗ τὸ ἐν Μαραθῶνι ἄγαλμα· ἔστι δὲ ἥρως γεωργός. ἤρετό τε τὸν Ἡρακλέα τοῦτον ὁ Ἡρώδης, εἰ καὶ ἀθάνατος εἴη, ὁ δὲ ‚θνητοῦ' ἔφη ‚μακροημερώτερος'. ἤρετο αὐτὸν καὶ ὅ τι σιτοῖτο, ὁ δὲ ‚γαλακτοφαγῶ' ἔφη ‚τὸν πλείω τοῦ χρόνου καί με βόσκουσιν αἶγές τε καὶ ποιμένες τῶν τε βοῶν καὶ τῶν ἵππων αἱ τοκάδες· ἐκδίδοται δέ τι καὶ θηλῆς ὄνων γάλα εὔποτόν τε καὶ κοῦφον. ἐπειδὰν δὲ ἀλφίτοις προσβάλλω, δέκα σιτοῦμαι χοίνικας, καὶ ξυμφέρουσί μοι τὸν ἔρανον τοῦτον γεωργοὶ Μαραθώνιοί τε καὶ Βοιώτιοι, οἵ με καὶ Ἀγαθίωνα ἐπονομάζουσιν, ἐπειδὴ καὶ εὐξύμβολος αὐτοῖς φαίνομαι.'* Herodes de adolescentulo, de quo recens fama necdum inveterata percrebuerat, Julianum fecerat paullo certiorem, quum ipse ne ea quidem, quae per aetatem illius jam tunc sciri possent, omnia probe cognita haberet. Ita Herodes etiamtum nescivit, nomen huic adolescenti esse *Σώστρατος*. Adeo nomen *Σώστρατος* in Philostrato alienam epistolam delibante non magis exstare potuit, quam in ipsa Herodis epistola exstiterat. Illud vero Herodes quum ex ipso adolescente audisset, non ignoravit, cognomen Sostrato ab agricolis *Ἀγαθίων* inditum esse. Quumque Sostratum Lucianus in Demon. 1 diserte *‚Βοιώτιον'* dixerit, cum eis prorsus consentio, qui virum mirabilem ad Delium oppidum in Boeotia natum voluerant. Iidem eum *γηγενῆ* appellarant non ut ‚indigenam', sed quemadmodum oppositio Marathonis patris edocet, ut ‚terrae filium', h. e. patre natum incerto. Lucianus tamen verum patris nomen, si modo erui potuisset, sine dubio addiderat, nempe ut falsum patrem Marathona heroem e medio tolleret. Quin etiam ipse Sostratus, si recte supra conjeci, Herodi narraverat, matrem sibi esse mulierem sane robustam et eam ‚uxorem bubulci', ita ut Luciano armenti locique vestigia persequenti nomen quoque hujus bubulci fortassis invenire liceret. Postremo illa aetate diis gentilium ex parte jam aboleri coeptis multi in eo elaborarunt, ut

pro se quisque ‚semideus‘ esse conseretur, ridente hanc vanitatem Luciano in Morte Peregrini § 41. Quo magis adolescentulo ignoscendum est, si labe saeculi correptus Marathonem heroa patrem ediderat. Quae autem continuo subsequuntur: *Τὴν δὲ δὴ γλῶτταν — ἡ γλῶττα τὴν ἄκραν Ἀτθίδα ἀποψάλλει,* ea ab Philostrato tam inepte narrata sunt, ut Sostratum hominem literarum rudem paene in atticistam Phrynicho similem mutaverit. Ipse vero Herodes elegantiam linguae miratus quaesisse e Sostrato videtur, an attice loqui didicisset sub magistro. Quod quum Sostratus factum negasset, Herodes Juliano fortasse scripserat, in locis, quos Sostratus frequentarit, Atticae mediterraneis, quod ibi barbari sint nulli, plerosque magis attice loqui quam ipsis Athenis. Talis enim observatio in Herodem cadit sophistam perelegantem, cadit etiam in Philostratum, qui in his ipsis Vitis p. 624 init. de Aeliano scripsit: *ἠττίκιζεν, ὥσπερ οἱ ἐν τῇ μεσογείᾳ Ἀθηναῖοι,* non cadit in Sostratum bubulci filium et Herculem rusticum. Deinceps Herodi interroganti Agathio respondet, semel se ludis Pythicis interfuisse, non tamen ut turbae se immisceret, verum e Parnasso spectaret tragoedias. Crederes hinc Sostratum, qui etiam ibid. p. 554 fin. Herodi a quo invitatus erat quam primum se subduxerit, conventus hominum fugere solitum esse. Eodemque loco verba: *ὅτε Παμμένης ἐπὶ τραγῳδίᾳ ἐθαυμάσθη* Kayser Indice p. XVII recte de Pammene accepit tragoediae actore, Nauckio in Trag. Gr. Fr. p. 734 dubitanter hunc Pammenem in poetis tragicis enumerante, quum immemor eorum esset, quae ab Lobeckio in Aglaoph. p. 975 sq. scripta sunt verissime. Ceterum tragoedia non magnopere hominem juvit rusticum, quod Pelopidarum et Labdacidarum improba facta homines ad mala facinora allicere posse diceret. Nihilo magis ludis Graecorum gymnicis incultus ille adolescens delectatus est, quos ultro irrisit, quum ipse potius censeret cursu equum vel cervum vincendum esse atque etiam cum

tauro vel urso depugnandum: quod ego (inquit) facio quotidie (*ὃ ἐγὼ ὁσημέραι πράττω*). Denique ad coenam in Canobi sacellum invitatus ab Herode Agathio postridie se una futurum promisit, si lac ejusmodi sibi apponeretur, ‚quod non femina ulla mulsisset‘. Quumque tempori venisset, lacte ad nares admoto caussatus olere lac feminae manum abiit incoenatus. Tum haec addit Philostratus: *ἐπιστήσας οὖν ὁ Ἡρώδης τῷ περὶ τῆς γυναικὸς λόγῳ ἔπεμψεν ἐς τὰ ἐπαύλια τοὺς ἐπισκεψομένους τἀληθὲς, καὶ μαθὼν αὐτὸ οὕτως ἔχον ξυνῆκεν, ὡς δαιμονία φύσις εἴη περὶ τὸν ἄνδρα.* Ego vero magis sentio cum Wielandio (Lucian's — Werke P. III p. 265), qui e tam acri olfactu non tam heroa eum exstitisse conclusit, quam naris fuisse haud sane obesae feminasque sagaciter odoratum esse. Sed quum antea p. 553 init. Agathio Marathonem sibi patrem esse narrasset, jure ex eo Herodes (quasi admirans), an immortalis esset quaesivit, id quod ne ipse quidem Agathio prorsus confirmare ausus est. Quo magis miror, quod Philostratus p. 554 fin. Herodem in eadem epistola ait ob tantillam causam ‚*δαιμονίαν φύσιν*‘ in Agathionem contulisse. Attamen si vera Philostratus tradidit, neque suam ipsius superstitionem male contribuit Herodi: Herodes ad extremum ipse Agathionem crediderat patre natum esse Marathone heroe. Ceterum per totam Herodis ad Julianum epistolam Agathio ab Herode ‚Herculis‘ nomine non magis unquam appellatus erat quam ‚Sostrati‘: ex quo elucet adolescentem primae lanuginis ad ‚Herculis‘ dignitatem nondum evectum fuisse, sed postea demum tanto honore dignum existimatum. Quae res novo argumento est, nos p. 552 post verba *ἡ ἀνδρός* jure meritoque illa *οἷον τοῦ Ἡρακλέους* supplevisse, quo probato Philostratum apparet ‚Herculis‘ cognomen ab solo postea Ctesidemo audivisse. Nam alioqui Philostratus cognomen ‚Herculis‘ non magis nosse potuerat, quam nomen ipsum unquam novit ‚Sostrati‘. Nimirum Herculis cognomen Sostratus vir demum factus primo

accepit, quum (ut est apud Lucianum in Demonacte 1) jam res Hercule non indignas gessisset: ὅσα, inquit, ἢ λῃστὰς ἀναιρῶν ἔπραξεν ἢ ὁδοποιῶν τὰ ἄβατα ἢ γεφυρῶν τὰ δύσπορα. Itaque de his omnibus, quae Lucianus de latronibus, de viis ac pontibus verbo commemorat, in Herodis literis non magis quam in Philostrato una legebatur litera, neque ulla legi poterat, ideo quod haec omnia multo post gesta sunt, quam illa ab Herode ad Julianum epistola scripta esset. Ceterum de praedonibus, qui tum in Graecia fuissent, Lucianus in Sostrato haud dubie multa perscripserat. Et in nonnullis quidem regionibus, ut in vicinia Cithaeronis jam olim ab heroum usque aetate latronum quaedam fuerant speluncae, sicut Hemsterhusius ad Luc. D. Mort. XXVII, 2 bene observavit. Sed quum multis bellis Romanorum et maxime civilibus Graecia devastata esset, latronum factiones adeo creverunt, ut plurimis locis vastis jam atque desertis nihil usquam tutum esse diceres, sed omnia latrociniis infesta. Hinc ab Heliodoro, Xenophonte Ephesio, Apulejo (in Metamorph. IV, 6 init., ubi vide interpretes) latronum speluncae tam saepe descriptae sunt; hinc tam acriter latrones militum excursione conquisiti sunt (Apulei. ibid. VII, 7 fin.); hinc fortissimorum latronum multa adeo nomina servata sunt, ut Tillorobi (Luc. Alexand. c. 2), Bullae (Xiphilin. e Dione 76, 10) Thrasyleontis (Apulei. Metam. IV, 15). Ad Graeciam autem et ad Luciani aetatem praeter hunc Thrasyleontem etiam eae latronum descriptiones referendae sunt, quae in Pseudoluciani Asino c. 16 sqq. et eaedem multo uberiores in Apuleji Metam. III c. 28 sqq. leguntur. De his igitur latronibus locus vere classicus, qui in Sostrato Luciani certissime exstiterat, nobis deperiit: quo amisso ne hoc quidem scimus, utrum Sostratus, quum tot latronibus de medio sublatis pro ‚Hercule' haberi soleret, postremo latronum manu ipse confectus sit, an perpetuus quidam latronum victor alio genere mortis occubuerit. Et quanquam haec vota sunt, tamen

profecto vellem alia quaedam Herodis epistola de eodem Agathione jam viro scripta esset et adhuc sive ipsa exstaret sive epitome ejus apud Philostratum. Credibile est enim, Herodem Sostrato postea magis etiam favisse, cum ille spem de se conceptam cumulatissime explevisset. Adde, quod inter se similes et in dispari genere non dispares hi fuerunt duumviri: similes autem cum similibus facile congregantur. Etenim hi duumviri ambo de Graecia eximie meriti sunt, neque tamen quum alius alia via tantam laudem assecutus esset, ullo modo inter se obtrectare potuerunt. Sed ut unde huc digressa est ad Luciani librum ‚*Σωστράτου Βίος*' oratio redeat, probabile est in eo Herodem atticum saepius honoris causa memoratum fuisse. Namque Herodis ad Julianum epistolam aut Lucianus, si jam tum edita erat, ipse quoque legerat aut certe res quae in hac epistola inerant ab Herode aliisve acceperat. Ita Lucianus nullo modo nescivit, et Herodem cum Sostrato adolescentulo diu collocutum esse et Sostratum Herodi ad coenam promisisse: quorum illud in Luciani libro non videtur omissum fuisse. Nempe quae Philostratus II, 1, 6 et inprimis c. 7 de Agathione et de Herode scripsit, eadem Lucianus suo more modoque tradiderat, ut tum quoque ab anili superstitione procul abhorreret. Restat ut quaeramus, quaenam ratio Herodem inter et Lucianum intercesserit: de quo certiora afferre liceret, si hic ipse de quo jamdiu disputo Luciani de vita Sostrati liber servatus esset. Et vivus quidem Herodes ab eo nusquam verbo reprehensus, sed magna et justa laude celebratus est. Nam in l. De Morte Peregr. § 19 sq. ‚virum doctrina et dignitate excellentem' (Herodem dicit) eximie laudat, quod quum alia ab eo in Graeciam beneficia collata sint, tum ejusdem opera aqua Olympiam sit deducta. Eodemque loco Herodes etiam a Peregrini cynici conviciis, quae eadem Philostratus V. S. II, 1 c. 13 memoria digna habuit, studiose defenditur. Tum declamationes Herodis post mortem

ipsius dilaudat in Demonacte 33: τὰ τοιαῦτα μελετᾶν. Fuit enim Herodes sophista auctore Philostrato V. S. II, 1, 14 p. 564 fin. tanta eloquentia, ut Graeciae universae judicio εἷς τῶν ι' νεωτέρων esse putaretur, de quibus sophistis ad l. De Saltat. § 69 plura dicentur. Tum alia quoque praeter eloquentiam his duumviris communia fuerunt. Nam et Herodes ab Stoicis abhorruit, ut ex A. Gellio 19, 12 aliisque indiciis conligitur, et Lucianus qui eos sibi odio esse in Hermotim. 85 negavit, tamen eosdem videtur odisse: cur enim hos potissimum tam saepe et tam acerbe insectatus est? Sed extremis annis ab sene Herode Luciani voluntas magis videtur abalienata fuisse. Certe in Demon. 1 duo tantum sua aetate viros memoria dignos ait exstitisse, Sostratum et Demonactem: Herodem vero, qui vir utroque sine controversia praestantior fuit, alto praetermisit silentio. Etenim duae tunc Athenis factiones fuerunt, quarum altera ab Herodis partibus staret, altera Herodi soleret adversari. Quanta autem acerbitate hae inter utramque factionem contentiones agitatae sint, quum e Philostrato II, 1 et II, 2, tum e Frontone p. 63—67 et p. 166 (sive p. 194) ed. Rom. satis superque apparet. Quin etiam nonnulli qui ab Herode starent poena affecti sunt, uti Marcus imperator in literis ad Herodem datis ap. Philostratum II, 1 c. 12 ipse testatur. Nempe Herodes tum tyrannidis affectatae accusatus erat: qui quamvis ipse absolveretur, tamen in amicis eligendis, quorum pars poenas dedit, senex parum caute videtur versatus esse. Hinc Lucianus, qui imperatori ex animo deditus fuit atque semper in ea re sibi constitit, non potuit non ab Herode tum quidem dissidere. Sic Lucianus acerrime Peregrinum (De Morte Peregr. § 19) castigavit, quod ‚τοὺς Ἕλληνας ἔπειθεν ἀντάρασθαι ὅπλα Ῥωμαίοις', quam rem interpretes non viderunt regnante etiam tum Antonino Pio accidisse. Auctor mihi est Capitolinus in Antonino Pio c. 5 fin.: ‚in Achaja etiam atque Aegypto rebelliones repressit'. Alium Luciani locum,

qui est in Demon. § 9, ad eandem seditionem jam supra retuli. Ceterum duo libri, Sostrati et Demonactis vitae ambae paullo post mortem Herodis ab Luciano editae sunt. Et sicut in Demonacte modo laudatur Herodes modo reprehenditur, ita etiam in Sostrati vitam tam reprehensio Herodis cadere potuit quam laudatio. Fortassis enim, ut de vanitate et iracundia ejusdem viri taceam, superstitio Herodis vituperata est, qui Sostratum adolescentulum, priusquam res majores ab eo gestae essent, jum tunc pro semideo quodam habuisset. Quanquam Herodem mortuum Lucianus certe in Demonacte § 24, § 25 et § 33 leniter tantummodo et unica de causa perstrinxit. Nam quum Herodes uxorem, alterum e filiis, filias duas, libertos etiam carissimos morte amisisset, luctu perditus his recens mortuis eundem quem vivis honorem tribuit, quam insaniam luctus ll. ll. Demonax risit non immerito ille quidem, minus tamen urbane quam Lucius philosophus ap. Philostratum II, 1 c. 9 p. 557, qui quum raphanos Herodi ad coenam parari vidisset, negavit fas esse albis raphanis lugentem vesci in aedibus atris pullisque. Non male tamen ipse Herodes ap. A. Gellium 16, 12 alii philosopho, cui dolorem parum sapienter ferre visus esset, ita respondit, ut in tali luctu dolorem animi naturae bene convenientem esse ostenderet. Ceterum Fronto ad amicum, qui morte filium vel filiam amisisset, sermone (quod raro fecit) non latino sed graeco epistolam misit et consolationem P. II p. 420 sqq. ed. Mediol. (sive p. 30 sqq. ed. Rom., sive p. 227 sq. ed. Niebuhr.). Has literas Niebuhrius conjecit ad Herodem atticum missas fuisse, qui unum e liberis suis tum maxime lugeret probavitque Majo hanc conjecturam sane pluribus de causis verisimilem. Denique in Luciani ipsius libello, cui nomen est *ΠΕΡΙ ΠΕΝΘΟΥΣ* lamentatio potissimum lugubris, planctus parentum in luctu filii, caerimoniae sepulcrorum ridentur, ita tamen ut ad Herodem atticum aut ad hujus viri luctum immoderatum nullo modo adludi videatur.

Caput III.

De Luciani Necyomantia. *)

Qui multi nuper varia Odysseae carmina distinguere coeperunt, eorum nullus ita ut rei magnitudo exigebat Necyian pertractavit. Fuerunt tamen, qui etiam hanc partem inchoarent, G. G. Nitzschius, A. Herrmannus, F. Lauer, H. Brausewetter, novissime autem A. Köchlyus (De Odysseae Carmin. III p. 19 sqq.) et ita inchoarent, ut sic quoque operae pretium fecisse videantur. Nam plerique eorum id studuerunt, primum ut Necyian, quae gravius quam multi alii Odysseae loci interpolata est, hisce interpolationibus liberarent vulgataeque Necyian genuinam opponerent, quae ambitu multo breviore fuerat, tum ut omnem istam Necyian e reliquae Odysseae compage prorsus tollendam esse docerent, quorum hoc et ipsum multis facile probabitur. Nam (id quod e scholio Plautino et e scriptore graeco ap. Cramerum Anecd. Paris. I p. 12 didicimus) sparsam prius Homeri poesin Hipparchi jussu quatuor poetae coagmentarunt, unus nomine incerto, praeterea Zopyrus Heracleota, Orpheus Crotoniata et Onomacritus Atheniensis. Quorum duo priores ipsi quoque poetae Orphici fuerant, Onomacritus vero, de quo homine multi multa (ut Lobeckius in Aglaoph. p. 331 sqq.) dixerunt, non solum Orphica scripserat et diffinxerat, verum etiam Homerum (velut in hac ipsa Necyia Od. λ, 602—604 versus tres, non

*) Primum haec edita sunt Rostochii a. 1864.

unum v. 604) et Musaeum certo interpolarat, idemque Dionyso orgia condiderat (judice Lobeckio in Agl. p. 692 sqq.), denique hoc inprimis egerat, ut Graecorum animos cultu deorum fanatico et dira superstitione impleret. Quumque certissimum sit totas adeo aliorum epicorum, non Homeri rhapsodias ab his quatuorviris et in Iliadem et Odysseam non sine fraude illatas esse: nihil prius nihil antiquius quum caeteri tum quo erat vel furore vel furoris simulatione Onomacritus habuisse videtur, quam ut magica Circae pocula et Ulixis evocationem manium ad Homerum auctorem transferret summaque Homeri auctoritate magiae et psychomantiae ritus sanciret. Et profecto haec nefaria fraus Onomacrito e voto sententiaque cessit usque eo, ut Graeci Necyian ab ipso Homero scriptam esse rati quos dixi ritus suscipere non dubitarent. Ceterum Iliadem magorum artibus carere, Odysseam autem eisdem abundare jam veteres praeclare mirati sunt apud Plinium N. H. XXX, 1 § 2, qui Circae inprimis et inferum evocationi Iliadis silentium recte opposuit. Sed magicae vanitates quum omnino in Persis ortae sunt a Zoroastre, ut Plinio l. l. teste inter auctores convenit, tum necyomantian quoque a Persis primum allatam esse certissimi scriptores testantur, Varro ap. Augustinum De Civ. Dei VII, 35, Strabo XVI, 2 p. 1106, A, Lucianus in Necyom. c. 6, ubi hunc magum et Zoroastris *διάδοχον* fuisse dixit et nomen magi addidit Persicum. Huc Aeschylum adice, in cujus tragici Persis v. 631 sqq. a Persarum senum choro Darii umbra evocata est. Magiam igitur, quae proprie dicitur, ad Graecos antiquitus a Persis allatam esse certo constat neque id quidem Lobeckius (in Aglaoph. p. 752) negavit. Mireris fuisse, qui de Persarum magis aliter sentirent, uti patet e Diogene Laert. Prooemio § 8: *τὴν δὲ γοητικὴν μαγείαν οὐδ' ἔγνωσαν* (sc. *οἱ μάγοι*), *φησὶν Ἀριστοτέλης ἐν τῷ Μαγικῷ καὶ Δείνων ἐν τῇ πέμπτῃ τῶν ἱστοριῶν.* Quanquam certas magiae partes non adeo antiquas

fuisse concedendum est. Ita Favorinus ap. A. Gellium N. A. XIV, 1. Chaldaeorum disciplinam tantae vetustatis esse negat, quantae eam ipsi videri velint, quae recte dicta esse Lobeckius (Agl. p. 426) judicavit. Sed quod ad necyomantian pertinet, haec quidem et Graecis jam paulo ante Onomacritum cognita erat et omnium fere consensione a Persis erat profecta. Neque unam magices factionem Plinius ibidem (XXX, 1 § 2 fin.) fuisse docet, sed plures, Persicam, Judaicam, Cypriam, quae res similiter in necyomantian transferri recte potest. Non quo magni referat, utrum mortuorum manes, ut plerumque accidit, in has terras evocentur, an magus ut in Luciani Necyomantia vivus ad inferos descendat et inde salvus revertatur. Sed tamen ut in re nugatoria, quum mendacium mendacio, glaucomate glaucoma tegi oporteret, ritus et caerimoniae magnopere diversa fuerunt. Nam Ulixi in Od. λ', 32 sqq. sanguine victimarum ita opus fuit, ut tamen oves mactaret, quarum cruorem umbra hauriret Tiresiae. At alii barbara et immani consuetudine retenta in hoc divinandi genere tam foedi fuerunt tamque sanguinolenti, ut pueros occiderent, quorum extis ad sacra sua abuterentur. Vide exempli causa Ciceronem in P. Vatinium c. 6: ‚quum inferorum animas elicere, quum puerorum extis deos manes mactare soleas‘. Et Plinius quidem (N. H. XXX, 1 § 3) DCLVII demum anno urbis senatus consultum dicit factum esse, ne homo immolaretur palamque in illud tempus sacram fuisse prodigiosam celebrationem. Sed ne postea quidem magi isti puerorum vitae semper pepercerunt, ut ex Horatio, Juvenali, Lucano, Heliodoro, Ammiano Marcellino aliisque intelligi potest. Nam humana sacrificia per legem Hadriani abolita Didius Julianus imperator magiae causa revocavit teste praeter Dionem Spartiano in Juliano c. 7. Jam Pythagorae liber gravi philosopho dignus *Κατάβασις εἰς ᾅδου* (de quo vide Lobeckium in Aglaoph. p. 944), in quo libro Homeri et Hesiodi animas cruciari viderat ‚ἀνθ᾽ ὧν

εἶπον περὶ θεῶν‘ speciose ab criticis Hieronymo Rhodio tributus est. Tum de Orphei libro *Κατάβασις εἰς ᾅδου* omnino varia traduntur. Clemens enim Alex. Strom. I p. 333 ed. Sylb. hunc librum ab aliis Prodico Samio et ab Epigene Cercopi Pythagoreo adsignatum esse tradit, (et de Cercope antea Cicero De Nat. D. I, 38 idem fere prodidit) Suidas autem s. *Ὀρφεύς* ab aliis Herodico (Prodico) Perinthio, ab aliis Orpheo Camarinaeo. In hac dissensione certe cautum est, ne quis ab hoc Cercope ad antiquum illum epicum, Cercopem Milesium aberret atque huic vel Orphei librum *Κατάβασις* vel adeo Homeri Necyian tributam fuisse fingat. Et quamvis Orphicus Cercops Pythagoreus fuisse dicatur, tamen ne hoc quidem fieri posse videtur, ut huic Cercopi Pythagorae *Κατάβασις*, qui liber nihil habuerat generis Orphici, imputetur. Nam alioqui Pythagoras postea non minus quam mythicus iste Orpheus in praestigiatorem atque in magum transformatus est, de qua re et Lucianus in Alex. c. 4 dixit et Lobeckius in Aglaoph. p. 235 sqq. pluribus exposuit. Hinc nonnulli auctore Varrone ap. Augustin. De Civ. Dei VII, 35 necromantia Pythagoran usum fuisse commemorant, hinc unus alterve psychomantis in Pythagoreorum numero habetur. Quodsi de isto Orphei libro *Κατάβασις* hariolari necesse est, commode saltem finxeris, per Orpheum ibi (sicut ap. Ovidium in Metam. X, 51 sqq.) Eurydicen uxorem ab inferis paene reductam fuisse. Itaque neuter neque Pythagoras neque Orpheus in suo ‚Descensu‘ ab Homerica Necyia suspensi fuisse videntur, ad quam eandem se more suo partim Vergilius adcommodavit (Aeneid. VI, 237 sqq.), ubi Aeneas Sibyllae monitu descendit ad inferos Anchisemque patrem consulit. Tragici autem, dum jocum incolumi gravitate tentant, interdum ad eam rem descensu ad inferos rebusque magicis usi sunt, siquidem et Aeschyli *Κίρκη* ejusdemque *Σίσυφος δραπέτης* et Sophoclis *Ἡρακλῆς ἐπὶ Ταινάρῳ* dramata fuerunt satyrica. Quid, quod Aristophanes ipsam Homeri

Necyian ridere videtur in Avibus v. 1553 sqq. loco difficili, quem ad Arist. Thesmoph. p. 315 expedire conatus sum. Contra *Ψυχαγωγοὶ* Aeschyli, in quibus Homeri Necyian secutus erat, haud dubie tragoedia fuerat, sicut ad Arist. Ran. v. 1266 p. 381 demonstravi. Sciebam jam tum fuisse, qui *Ψυχαγωγούς* ob unicum hunc versum (ap. schol. ad Odyss. λ', 134): ‚*ὄρθῳ σε πλήξει νηδύος χλώμασιν*' temere pro dramate haberet satyrico. At quum in hoc genere choros semper fere ipsi satyri canerent, in Psychagogis chorus e lacus Averni accolis, qui *ψυχομάντεις* erant, constiterat. Res ex eo versu intelligitur, quem chorus ipse cecinerat Mercurium infernum (*τὸν ψυχαγωγόν*) quasi proavum suum venerans, ap. Arist. Ran. v. 1266: ‚*Ἑρμᾶν μὲν πρόγονον τίομεν γένος οἱ περὶ λίμναν*', cum quo l. conferre licet Aeschyleum Pers. v. 628—682, in quo et ipso chorus psychomantia utitur. In Psychagogis primum (uti Valckenarius in Diatrib. p. 286, c vidit) Tiresias Ulixi mortis genus ab Telegono filio imminentis praedicebat. Deinde (ut jam olim l. l. p. 381 judicavi) Psychagogos veri simile est horribilem quandam Aeschyli tragoediam fuisse Acheronta moventis nec valde absimilem eis quae exstant Eumenidibus. Sed ut haec tragoedia Athenis data erat, ita plurimis annis post regnante jam Ptolemaeo Lagi f. id est non ante a. 306 (Ol. 118, 3) Nicias pictor patriae suae Athenis (heu nimium piis!) nobilem tabulam donavit, necyomantean Homeri, de qua pictura vide Plinium N. H. XXXV cap. XI § 132, Antipatrum Anthol. IX, 702 et Plutarchum Non Posse s. v. s. Epic. c. 11 collato Silligio Catal. Artif. p. 297. Tamen non ita multo post necyomantiae non tam usus intermissus quam auctoritas et dignitas imminuta est. Quum enim ab cultu deorum ad quaestum et lucellum, ab sanctitate vatum ad magorum fraudulentiam res redisset: psychomantia sensim inrisui et ludibrio esse coepit. Adde quod post annum urbis 657 propter illud quod supra dixi senatus consultum

ne magi quidem puerorum extis amplius uti et sibi constare potuerunt, sed a pueris immolandis ad sacra Necyiae Homericae redire coacti sunt, id quod in Luciani Necyomantia factum videmus. Quam arcte autem illo tempore cum magorum artibus necromantia conjuncta fuerit, inprimis imperatorum exempla ostendunt, uti Neronis, qui umbrarum inferorumque colloquiis mire deditus erat teste praeter alios Plinio N. H. XXX, 2 § 14, ut postea Caracallae, qui circa annum 216 p. C. n. insano necyiae studio mortem sibi adceleravit, ut est apud Herodianum Hist. IV, 12 et Xiphilinum ex Dione C. 77, 15. Sed jam ultimis reip. temporibus plures viri magicae dediti memorantur, qui in psychomantia ne puerorum quidem sanguini pepercerint, ut is quem supra dixi Vatinius, ut P. Nigidius, prae caeteris autem Appius is, de quo vide Ciceronem in Quaestt. Tusc. I, 16 § 37 et De Divinat. I, 58 § 132, in quo Appio magna quaedam fuit pietas et major etiam Appietas. Venio nunc ad eos, qui necromantiam reprehenderunt, id quod a patribus christianis luculentissime gravissimeque factum videmus, ut ab Lactantio Instit. Divin. II, 16 init.: ‚necromantia et ars magica et quidquid praeterea malorum exercent homines vel palam vel occulte‘. Quod ad gentiles adtinet, C. Plinius H. N. XXX, 1 init. magorum artes ad unam omnes exsecratus est. Ab necromantia vero maxima pars hominum tunc ita longe abhorruit, ut vel ei qui alia divinandi genera probassent, psychomantian nominatim exciperent. Ita apud Marcum fratrem (De Divinat. I, 58 § 132) Quintus Cicero, cupidus ille divinationis patronus tamen non se psychomantian agnoscere palam testatus est. Ac de Luciani aetate idem valere vel ideo credibile est, quod Marcus Antoninus magorum artes et incantamenta valde oderat, quam rem ipse Diogneto refert acceptam (De Rebus Suis I, 6 init.): imperatoris autem sui tam boni praesertim studia cives vulgo sequuntur. Quis eadem fere aetate magis superstitiosus fuit Artemidoro? Hic tamen necyomantian

diserte totam improbavit Oneir. II, 69 p. 161 ed. Hercher: ὅσα γὰρ ἂν λέγωσι — νεκυομάντεις, ψευδῆ πάντα καὶ ἀνυπόστατα χρὴ νομίζειν· καὶ γὰρ αἱ τέχναι αὐτῶν εἰσι τοιαῦται καὶ αὐτῆς μὲν μαντικῆς οὐδὲ βραχὺ ἴσασι, γοητεύοντες δὲ καὶ ἀπατῶντες ἀποδιδύσκουσι τοὺς ἐντυγχάνοντας. Quis sub ipso Marco philosophum Artemidoro similem, L. Apulejum, cujus se defendentis liber ‚de magia' adhuc superest, magiae publice accusatum esse nescit? Eodemque tempore Celsus κατὰ μάγων libros scripserat praeclaros, qui et ab Luciano in Alexandro c. 21 valde laudati sunt et ab S. Hippolyto in Refut. Omn. Haer. IV, 34 init. partim excerpti. Ceterum quod ad magicas artes in his ad psychomantian attinet, apud gentiles magia et saepe vetita est et eadem semper retenta. Quo minus mirari licet, necyomantian inrisam esse ab scriptoribus etiam satyricis, de quibus nunc dicetur. Primum Sopatri, qui parodus fuit, Νέκυιαν Suidas s. Σώπατρος κωμικός attulit ex Athenaeo versuum ipsorum memori IV p. 160, c.: ‚Ἴθακος Ὀδυσσεύς, τοὐπὶ τῇ φακῇ μύρον, | πάρεστι· θάρσει, θυμέ', o quibus verbis recte Casaubonus conclusit, Sopatri Necyian in eodem quo Homericam argumento versatam esse. Etenim νέκυια apud Sopatrum et Menippum ut vulgo ‚Homeri necyomantiam' significat, etsi hanc vocem seriores scriptores ponunt etiam plane pro quavis necyomantia (non solum Homerica), ut Herodianus Hist. VI, 12: μάγων τοὺς ἀρίστους ζητήσαντι νεκυίᾳ τε χρησαμένῳ —. Tum Menippi cynici Νέκυια ab Diogene L. VI, 8 § 101 memoratur, quem librum Lucianus in nostro dialogo ‚Μένιππος ἢ Νεκυομαντεία' judice Casaubono (De Satyr. Poes. p. 206 ed. Ramb.) imitatus est. Certe et hic ab Luciano praeter alios philosophi quoque ridentur et ab Menippo philosophi perpetuo rideri solebant, uti non solum Diogenes l. l. paulo ante tradidit, sed imitatio Varronis e ‚Saturis Menippeis' clare demonstrat. Ac ne hoc quidem fieri potest, quod Hemsterhusio ad Lucian. D. Mort. I, 1 minus recte placuit, ut

Menippi *Νέκυια* Luciano Dialogos Mortuorum scribenti exemplo fuerit: in quorum nullo neque in eis quidem qui Menippi cynici personam habent, psychomantiam invenias.

Aliquot saeculis post Menippum Lucianus eo dialogo cui *Μένιππος ἢ Νεκυομαντεία* nomen est psychomantian facetissime perstrinxit. Hunc librum ab Luciano scriptum esse vel ipsa dictio certissime ostendit, qua Lucianus et is solus neque praeter eum ullus alius scriptor usus est: quam rem eis certe quicunque elocutionis Lucianeae usum callent, in oculos incurrere debuisse crederes. Tum quod ad ipsum libri argumentum pertinet, omnes sententiae, joca omnia et dicta Luciani ingenium planissime referunt. Quodsi alius libellus qui vulgo inter Lucianeos fertur ‚*Περὶ τῆς ἀστρολογίης*' vel ideo Luciani esse nequit, quod in eo astrologia strenue defensa est: sequitur Necyomantian etiam propterea Luciano dignam esse, primum quod e genere est satyrico et secundum Casaubonum ex ipso ducta Menippo, tum quod magorum artes traducuntur, quas ipsas quum alibi saepe tum maxime in Philopseude Lucianus inrisit, denique quod forma quoque hujus saturae Luciani ingenio unice respondet. Nam praeterquam quod primaria in hoc dialogo sicut in aliis Lucianeis persona est Menippi, qui ut vivus vidensque solebat hic philosophos quoque castigat: Menippus ut in suis ipsius saturis hic primum versibus utitur ex Euripide et Homero detortis. Neque illud omittendum est, Necyomantian ab his ipsis parodiis exordiri, uti prorsus aliae Luciani saturae, ‚Piscator' et ‚Jupiter Tragoedus' exordiuntur. Jam quo anno Necyomantian Lucianus ediderit, ex c. 10 perspicuum est, ubi de recens mortuorum umbris haec exstant: *τραυματίαι δὲ πάντες ἐπιπλέον — ἔκ τινος πολέμου παρόντες*. Bellum enim dicit Parthicum, quod quum per quadriennium a. 162 165 gestum sit: sequitur Necyomantian anno 163 vel 164 P. C. N. scriptam esse. Et hoc quidem Solanus infitiari ausus non est, qui: ‚si,

inquit, Lucianeus sit hic dialogus, scriptum oportuit anno C. 163'. Nempe paulo ante hos duo dialogos: *Εἰκόνες* et *Ὑπὲρ τῶν εἰκόνων*, paullo post autem hunc librum sane egregium: *Πῶς δεῖ ἱστορίαν συγγράφειν* Lucianus noster edidit. Qui quum in dialogo *Εἰκόνες* ab Vero imperatore gratiam inire frustra studuisset, mox Necyomantia edita in potentes (c. 17 collato c. 13) acerbe invectus est. Nunc aliud idque prope certum temporis indicium ipse exponam. Psychomantis magus in Necyomantia utpote aequalis (vivis autem nominatim inludere per leges non licebat), falso nomine et eo Persico ille quidem ‚*Μιθροβαρζάνης*' dicitur (ut alius magus falso nomine se *Βόμβον* dixit, de qua re ego ad Philopseud. c. 13, T. I P. II p. 114 exposui), sed idem describitur clarissime. Atqui eum magum, qui in Philopseude non magis nominatur sed describitur tantum, scholiastes ad Philops. c. 12 init. praeclare vidit dictum esse Julianum: quem majorem fuisse Julianum patrem minoris item magi post Lobeckium in Aglaoph. p. 100 ego ad Philops. c. 12 p. 113 et inprimis c. 16 p. 118 certo demonstravi. Hic igitur Julianus pater in Philopseude et ‚Babylonius' dicitur et ‚Chaldaeus' c. 11: *ἄνδρα Βαβυλώνιον τῶν Χαλδαίων* — *ἧκεν ὁ Βαβυλώνιος* et partim ibidem c. 12 fin. Nempe ut filius cognomen habuit *ὁ θεουργός*, ita pater Julianus cognomine dictus est *ὁ Χαλδαῖος*, de qua re confer Suidan s. *Ἰουλιανὸς ὁ Χαλδαῖος φιλόσοφος* et quae alia ad Philops. c. 16 p. 118 ego collegi. Nunc vide mihi et cum Philopseude compara haec Necyomantiae c. 6: *ἔδοξεν ἐς Βαβυλῶνα ἐλθόντα δεηθῆναί τινος τῶν μάγων* — *ᾔειν εὐθὺ Βαβυλῶνος. ἐλθὼν δὲ συγγίγνομαί τινι τῶν Χαλδαίων* —, quo l. minime (ut Hemsterhusio visum est) magi Persae et chaldaei Assyrii male confusi sunt. Immo etiam in Necyomantia Julianus pater, qui magus cognomen habuit *ὁ Χαλδαῖος* sive *ὁ Βαβυλώνιος*, unice describitur. Hic Julianus pater jam tum senex fuit, ut e Necyomant. c. 6: *πολιῷ μὲν τὴν κόμην*

apparet. Atqui Julianus pater eo ipso anno 163, quo Necyomantia scripta est,*) certissime senex fuit, siquidem Suidas s. Ἰουλιανός Julianum prioris filium sub Marco Antonino vixisse perspicue tradidit. Ceterum idem cognomen est ὁ Χαλδαῖος et ὁ Βαβυλώνιος. Nam ‚Babylonii' (qui vulgo astrologi et genethliaci dicuntur velut ab Cic. De Divinat. I, 19 § 36) plerumque eidem ‚Chaldaei' adpellantur, ut ab Lucretio De Rer. Nat. V, 727 (de Beroso): ‚Babylonica Chaldaeum doctrina' (nam ut recte Plinius H. N. V, 26 fin.: ‚Babylon quondam Chaldaeae caput'), raro utrique magi, Babylonii et Chaldaei paullum inter se differre traduntur ut ab Hippolyto Refut. Omn. Haer. X, p. 494 ed. Schneidew. Quodsi in Necyomantia Juliano majori (c. 6: σοφῷ ἀνδρὶ καὶ θεσπεσίῳ τὴν τέχνην) inlusum est, sequitur Necyomantian Dialogis Moruorum valde esse dissimilem: in quorum dialogorum nullo aut Julianus ridetur aut alius Juliano duce ad inferos descendit. Quod superest, neque in scholiis vulgatis neque in codd., qui exstant plurimi, litera ulla invenitur, ex qua de Luciano Necyomantiae scriptore dubitatum esse conicias. Primus autem (ad Necyom. c. 1) nescio quid odiosi scrupuli Solanus injecit, qui ‚ob multa critico illo naso non satis digna' ita addubitavit, ut hoc opusculum, si genuinum sit, ab juniore Luciano compositum vellet. Ita idem Solanus id Luciani esse nunc negat nunc parum constanter adfirmat: quod si modo constat ipsius esse Luciani, quanta laude dignum sit, novae curae est quaerere et ab nostro proposito alienae. At Solanus

*) [In utroque libro, ut supra dixi, ridetur Julianus pater tum senex. De temporibus utriusque nunc ita sentio. Necyomantia, id quod e c. 10 patet bello Parthico saeviente edita est, quod bellum gestum est per quadriennium a. 162—165. Cum hac Philopseudes arcte cohaeret, ita ut initium saturae sit Necyomantia, Philopseudes autem continuatio Illa minus accurate scripta, hic vero dialogus summa cura elaboratus est. Quae quum ita sint, Necyomantia a. 163, Philopseudes autem a. 164 in lucem prodiit. Ex Addendis.]

dum laudabilia reprehendit, Lucianum non sensit negligentiam suam ipsum fateri c. 19: *πάμπολυ ἀπεπλανήθην τοῦ λόγου.* Contra in eo, quod hic unice agendum erat, ut hunc librum ab Luciano abjudicandum esse doceret, ubique Solanus dormitavit et halucinatus est, Luciani ille *Νεκυομαντείαν* in ipsius Menippi *Νεκυιαν* ausus transformare: quasi ut Lucianus Menippi, ita etiam Menippus Luciani esse imitator potuerit. Sed Solanum quum Hemsterhusius optime ille quidem Lucianum agnoscens erroris convicerit: miror fuisse, qui erranti Solano quam Hemsterhusio errorem refutanti adsentiri mallent, velut Belinus et Schmieder, cujus verba haec sunt: ‚non immerito dubitarunt, utrum hic liber genuinus sit necne'. Nam Wielandius qui (Vol. II. p. 357 sqq.) et ipse dubitavit, et qui Luciano Necyomantian ereptam voluit Lehmannus ut opiniones suas defendisse viderentur, aliquid tamen ipsi adjecerunt. Quanquam Lehmanni ipsius additamenta, quae vel scriptura falsa vel mala explicatio vel alius error progenuit, non modo refutatione sed ne mentione quidem digna esse censeo. Nam quod Lehmannus contendit, scriptorem idem paene eadem via in hac Necyomantia et in Icaromenippo secutum esse et utriusque hujus libelli eandem prorsus esse naturam, eandem faciem: id et ab Wielandio adsumptum et ne vere quidem judicatum est. Immo per totum Icaromenippum soli ridentur philosophi: at in Necyomantia (ut de ipsa psychomantia taceam) primo loco divites et potentes et secundum hos demum philosophi traducuntur. Deinde cum Wielandio Lehmannus Tiresiam vatem c. 21 utile praeceptum dedisse, non praedixisse futura miratur, oblitus uterque vel Horati Sermon. II, 5, 2 sqq. Wielandius autem, qui (II. p. 358) Luciani ingenium in Necyomantia non ille quidem ubique sed tamen saepenumero desideravit, nimium male (ibidem p. 360) opinatus est psychomantian in hoc libello dilaudari, quae potius hic lepidissime derisa est. Sed Wielandius ratiunculis suis

ipse merito diffisus Necyomantian, utrum Lucianea sit necne, ad extremum in medio reliquit. Enimvero Solanus, Wielandius et Lehmannus hanc saturam in potentes divitesque potissimum scriptam esse usque eo obliti sunt, ut potentium insectatione (c. 17) offenderentur et Philippum e rege sutorem veteramentarium indigne ferrent. Quanto melius Hemsterhusius judicavit se compertum non habere, an Philippo tam vile opificium certa quadam ratione tribuatur, scholiastae tamen conjecturam non ineptam esse neque abhorrentem. Equidem jam in adnotatione ad h. l. demonstravi, quae c. 17 insunt ea ipsius Luciani ingenio esse dignissima. Tum Hemsterhusius ad c. 14 Solano de frigore orationis nescio quo querenti optime se opposuit: frigide enim aut languide in Necyomantia nihil omnino dictum esse scito. Quum igitur Necyomantia certo sit Luciani, tempus est quaerere, ecquaenam res mirificam istam dubitationem de vero Necyomantiae scriptore pepererit. Nempe Lucianus omnino semet ipse exscribit suaque nimis crebro repetit et eadem fere ubique inculcat. Quae repetitio quum in M. Tullio Cicerone ad scribendi genus pertineat, ad argumentum in Q. Horati Flacci odis, perpetuis quibusdam querelis de rerum humanarum vanitate: eadem in Luciano multo patet latius. Qui in tot saturis nunc in philosophos nunc in rhetoras nunc in divites potentesque nunc in deos gentilium scriptis easdem ubique rationes iterat, eodem dicendi genere utitur, easdem metaphoras, comparationes, imagines, postremo saepe etiam eadem verba de eadem re semel et iterum non dubitat repetere. Hoc adeo partim negligentia quadam accidit, quod Lucianus quum diu scribendo victum quaerere coactus esset, tam multa scripsit ediditque (γεγραπται αὐτῷ ἄπειρα, Suidas s. Λουκιανός), partim minore eruditionis doctrinaeque copia, quod vir natione Syrus primum vitae potius prodesse quam literis voluit atque ex IC^to et causidico aliquamdiu rhetor, e rhetore rursum exstitit satyricus neque semper

operam literis graecis navare potuit. Has igitur repetitiones, praeclarum quoddam certae emendationis instrumentum omnes fere editores neglexerunt, Solanus tamen in sola fere Necyomantia re fortuita admonitus non neglexit. Nam in editionibus (in codicibus partim non item) Mortuorum Dialogi et Necyomantia, in quibus partim eadem repetita esse haud sane mirum est, continuo ordine se excipiunt. Hinc ita scripsit Solanus ad Necyom. 1: ‚Ut demus non fugisse eum in Dialogis Mortuorum jam saepius dicta repetere‘, errans ille hic etiam in eo, quod Dialogos Mortuorum post Necyomantiam demum ab Luciano scriptos esse non vidit. Ex his sequitur, repetitiones illas in omnes omnino Luciani saturas cadere, ita ut ob hanc quidem causam aut plerique etiam alii libri aut ne Necyomantia quidem ab Luciano abjudicari debeat. Atqui hoc ipso argumento ab repetitionibus ducto Solanus et Lehmannus si non solo, at uno omnium maxime nituntur eodemque mire abuti videas etiam Wielandium, cui uni tamen (II p. 357 et p. 360) repetitiones illae partim in mentem redierunt. At hoc quidem argumentum non dico nullum esse, hoc dico vim habere plane contrariam. Quum enim Lucianus hisce repetitionibus ubique utatur, certe Necyomantiam ipsius Luciani esse etiam ex eo sequitur, quod ab Necyomantia perpetuae illae repetitiones non absunt. Hoc unus ac praeter caeteros Hemsterhusius eximie vidit, qui ita scripserit ad c. 2 fin.: ‚similiter, ut Lucianum agnoscas, in Tim. § 13‘ et ut Solani opinionem de scriptore Necyomantiae ignoto refutaret, plures etiam repetitiones memoravit, ut ad c. 3 init.: ‚iisdem paene verbis leguntur in Charon. c. 2‘. Quae quum ita sint, nihil certius esse potest, quam Necyomantiam ab ipso profectam esse Luciano. Quem librum qui aliis tribuere ausi sunt Solanus, Wielandius et Lehmannus non modo non id quod ipsi voluerant, sed contrarium vel inviti demonstrarunt et hoc unum exemplo suo docuerunt, quae via in tali tamque im-

pedita quaestione omnibus longe fugienda sit. Sciens autem alios quosdam omitto, qui ab Solano decepti de Necyomantiae scriptore et ipsi verbo dubitarunt, veluti G. Wetzlarum (De aetate et vita Luc. p. 26). Non possum tamen, quin de Fr. Jacobsio, viro egregio, corollarii loco aliquid adiciam. Qui (in Append. ad Porson. Advers. p. 288 a. 1814) et dialogum mortuorum XXum Necyomantiae argumento ut putat similem Luciano minime dignum esse ait sed ex ejus laciniis ab imitatore compositum, neque dialogos mortuorum XXVI. XXVII. XXVIII hujus scriptoris esse, non magis ac Necyomantiam. Quodsi sola repetitione offensus est, debuit aut sicuti Solanus fecit unam Necyomantiam aut unum dialogum mort. XX ab Luciano abjudicare, non utrumque: quo facto ille Luciano ne ea quidem quae semel diceret reliquit. Tum de imitatoribus Luciani ne Dindorfius quidem nuper (ad Lucian. vol. I p. IX) satis recte statuit. Primus autem Solanus (ad Necyom. c. 1) multo ante Wielandium (T. II p. 331) et ante Lehmannum (ad Nec. c. 1 init.) ‚imitatorem' nescio quem Luciani exstitisse finxit, qui eis Necyomantiam conscripsisse videtur. Postea is qui Wielandium diserte nominat, C. B. Hasius (in Notices et Extraits vol. 9 p. 128 a. 1813) ab imitatoribus Luciani opera adulterina dicit profecta esse, ut ‚Halcyonem'. At tantum abest, ut opera ista imitatoribus deberi possint, ut Lucianeis sint dissimillima, velut ille ipse Ἀλκυών, in quo dialogo res Luciano invisa, metamorphoses defensae sunt. Uno anno post imitator iste Luciani ab Solano procreatus, eductus ab Hasio jam conjectore Jacobsio adeo se virum praestitit, ut ipse et Necyomantiam et quatuor alios dialogos procreare posset. Nuper vero ‚Toxaris' eodem modo natus est, nempe ab ‚imitatore' Luciani, si modo Js. Guttentagium (‚De subdito — Toxaride' p. 35 sqq.) solum audias. At enim veros Luciani imitatores novimus potissimum Byzantinos, qui ad hanc causam minime pertinent. Quis enim potest

esse tam aversus a vero tamque praeceps, ut Necyomantiam saeculo XII vel XIV demum scriptam esse opinetur? Ac de Byzantinis Necyomantiae ipsius imitatoribus, qui partim adhuc exstant, Hasius ipse disseruit (l. l. p. 131—246), quorum unus saec. XII dialogum nomine ‚Τιμαρίων' scripsit, quem dialogum Hasius integrum edidit, alius (Mazarius?) saec. XV dialogum barbarum, cujus argumentum Hasius exposuit: ‚Διάλογος νεκρικός· ἐπιδημία Μάζαρι (sic) ἐν ᾅδου' et sic porro, de alio prorsus tacere praestat. Attamen alia Hasius addere et ea meliora potuit, velut Theodori Prodromi ‚Βίων Πρᾶσιν', qui dialogus e Lucianeo ejusdem nominis dialogo expressus erat, ut ad Vit. Auct. c. 1 diximus. Itaque Theodorum Prodromum aliosque Byzantinos sane adparet Lucianum naviter imitatos esse. Et ab eisdem viris scholiorum Lucianeorum partem meliorem profectam esse confirmo: quam rem neque alii neque Cobetus (in Varr. Lect. p. 212) animadverterunt. Quodsi cui tam longa disputatione operam perdidisse videbor, is continuo ordine ‚Necyomantian' perlegat et ‚Philopseuden', adnotatione mea in consilium adhibita. Tum profecto intelliget unius scriptoris opus esse utrumque. Ergo qui ‚Necyomantian' genuinum esse dialogum negaverit, is eadem opera negabit Luciani esse posse ‚Philopseuden': quo errore nihil turpius cogitari potest, nihil absurdius. Denique qui imitatoribus Luciani paulo post ipsius aetatem locum fuisse finxerunt, obliti erant, satyricum eumque talem, qui ipsos deos gentilium riserat, imitando exprimere nihil tum quidem aliud futurum fuisse nisi temere praesens capitis periculum adire. Quanquam isti imitationum aucupes alios scriptores, quos paulo post Lucianum scimus floruisse, usque ad Libanium et Eunapium prorsus neglexerunt. Tantum enim abest, ut hi gentilium religionis patroni imitando nostrum usquam expresserint, ut de Luciano ubique taceant eumque odio persequi soleant internecivo.

Caput IV.

De libris Pseudolucianeis.*)

J. Bekkerum virum sane doctum et acutum nemo nescit plurimos codices diligenter contulisse, in critica arte prudentiam adhibuisse neque incondite vociferari solitum esse sed clauso labello recte cogitare. Memoriam et encomium viri M. Hauptius scripsit (in Opusc. III p. 239 sqq.), quem saepe ducem sequi licet, minime tamen quae scripsit omnia dilaudare. Recte Hauptius p. 245 Bekkerum editorem dixit graecorum maxime scriptorum volumina centum fere solum explevisse. Adeo Beckker quem prosae scriptorem non edidit? in quo edendo viam non ipse praeire voluit? cui priorum editorum debitam gratiam persolvit? quem denique aliis prius edendum reliquit? Enimvero de multis optime meritus est veluti de oratoribus atticis ferme omnibus si tamen Lysiam exceperis. Sed quum tot tamque spissa volumina ab eo edita sint, inepti sit credere in omnibus eum permultum efficere potuisse et nimis amici hominis, ea quoque quae carpenda sunt praedicare: in literis enim non auctoritas valet, valent argumenta. Tamen de Luciano Bekkeri adhuc tacui reverenter, postea quoque taciturus, ni hic ipse locus de dialogis suppositis nunc vocem me emittere cogeret vel invitum. Edendi igitur consilium ideo cepisse

*) Primum haec edita sunt Rostochii a. 1880.

videtur, ut C. Jacobitium refutaret. Omnino enim Bekker ab Jacobiti editione a. 1836, quam ubique consuluisse videtur, saepissime maximeque recessit, quod ita recte judicasset, Jacobitium virum alioqui de Luciano perbene meritum tamen non eum esse, qui hunc scriptorem probe sciat recensere. Ipse Bekker leve quoddam πάρεργον pollicitus diserte edixit, non recensitum ab se edi Lucianum sed tantummodo ‚recognitum'. Omni autem hac opera quam primum defungi voluit sensitque ab aliis consiliis ad tantas res sese transiliisse omnibus fere rebus (praefiscine) imparatum. Nam neque codices nisi aliorum ope comparatos adferre ullos poterat, neque Lucianum ipsum antea tractaverat, neque omnino ‚festivissimo scriptori' tristities Bekkeri conveniebat praesertim jam senis: annos enim tum habebat octo et sexaginta. Hinc tantopere festinavit, ut nullum (nisi forte bis terve) editorem ac ne Hemsterhusium quidem adiret, nullam denique editionem praeter duas inspiceret, Jacobiti eam quam supra diximus et Schmiederi. Etenim typothetis describendam tradiderat editionem habilem admodum et parvo parabilem ‚Schmiederianam', quam ipse hic illic correxit, sed nimis saepe retinuit integram. Nolo hic repetere, quae olim scripsi in Epist. Crit. ad Fried. p. XXIII sq., ubi de Schmiederi editione judicium tuli aequissimum. Sed quum Schmieder nimis a Belino pendere solitus esset, accidit, ut etiam Bekker inscius haud dubie et invitus Belini vestigia saepe legat: atqui Belinus homo fuit extremi ingenii. Contra ea idem Schmieder, ut ego l. l. p. XXIV recte judicavi, primus ingentem vim locorum e codd. Parisinis praeclare emendavit. Haec igitur laus uni Schmiedero reddenda est, non transferenda in Bekkerum, qui nihil aliud quam a Schmiedero bene inventa repetiit. Ceterum Bekkeri festinatio Schmiederum saepius tam caeco impetu secuta est, ut partim vera partim falsa eodem in loco ab Schmiedero sumere non dubitaret, cujus generis loci graviores infra proferentur. Alia esse

fateor leviora, veluti quod p. 394 (Timone c. 14 fin.) Bekkeriana a Schmiedero bene mutuatur ἄδικα ταῦτά σου (addito σου), male autem ἐναντία pro τὰ ἐναντία, ne plura hujusmodi adiciam. Altera editio, quam gnaviter ille versarat, est Jacobiti, qui multa parum graece dicta planeque barbara e codd. receperat. Injuriam facerem Bekkero, si negarem haec vitia omnia tanti viri manu nutuque e Luciano rursum ejecta esse. His in locis Bekker Schmiederi lectionem sequi consuevit bene graecam et atticam, id quod in apertis scribarum vitiis nemo non laudabit. At vero est etiam, ubi Jacobitius in manifesto errore tamen ab vero longe propius absit quam ipse Bekkerus. Saepenumero enim Jacobitius bene viderat, Schmiederi lectionem utpote interpolatam et recentem probari nullo modo posse, ideoque bonorum codicum (in his omnium vetustissimi Vindobonensis B) mendas suffecerat. Contra Bekkerus, qui interpolationes ex aliis scriptoribus tollere solebat, tamen in Luciano sive quod parceret tempori sive laborem fugeret, plerumque ad falsam scripturam Schmiederi maluit confugere. Atqui talis tantusque criticus minime ignorabat, in archetypi mendis creberrime ipsius manum scriptoris latere eamque e tenebris omni ope eruendam esse. Quamobrem ego in mea editione aut, ubicunque id mihi contigisset, ex antiquorum librorum vestigiis scriptorem ipsum restitui, aut si in eo frustra laborassem, saltem in adnotatione hoc diserte addidi, veram scripturam in antiquis codd. adhuc delitescere. Quae quum ita sint, Bekkeriana ex duabus editionibus, maxime quidem Schmiederi, tum etiam Jacobiti mire conflata atque permixta est. At, inquit, Bekkeri Lucianum emendationes haud paucae ornant ipsius Bekkeri et eae tanto viro minime indignae. Nempe sic praecipua laus hujus editionis plerumque ad conjecturas rediit ipsius Bekkeri, quae in unum omnes locum conjunctae plagulas implebunt paucissimas. Quod unum vix ac ne vix quidem satis causae esse debebat, quamobrem

Bekker Lucianum ederet universum. Grave judicium, non nego, sed (sicut Umbricius optime) ‚mentiri nescio, librum, ni bonus est, nequeo laudare‘. Haec eis dicta sunt, qui inepte toti pendent ab Luciano Bekkeri quum alii tum J. Bernaysius multis locis libelli haud contemnendi ‚Lucian und die Kyniker‘. Vixdum Lucianus editoris Berolinensis exierat, quum amicus juvenis elatus gaudio ita ad me scripsit verbotenus: ‚man kann sich auf Bekkers Ausgabe verlassen‘ et mirari coepit, quod ei mox alia omnia rescripsi. In universum tamen hujus critici editio fata habuit tristia aliorumque criticorum acerbitatem experta est. Ipse G. Dindorfius, Bekkeri et amicus et vero imitator ante hos XX annos in nova Luciani editione haud multum tribuit Bekkero, Cobeti autem emendationes luculentas propagavit. Nam quum Bekkeri editio modo exiisset, paucis mensibus post C. G. Cobetus, criticus eximius neque ipsi impar Bekkero ‚Varias Lectiones‘ edidit, quo libro prope toto Lucianum Bekkeri aggressus est. Tum vero id Cobeto accidit, quod fieri in re nova solet, ‚laudatur ab his, culpatur ab illis‘. Ego diu adduci nulla ratione potui, ut de talibus criticis publice judex sederem et nunc demum, quum prorsus necesse sit, non dubitabo quod res est dicere. Profecto enim multos Bekkeri errores in illa editione commissos Cobetus in Variarum Lectionum libro recte denudavit. Neque tamen de vera laude Bekkeri nostri quidquam detractum volo neque Cobeto etiam in eo adsentiri possum, quod in Varr. Lectt. Praefat. p. XX Bekkerum contendit divinandi facultate ‚minus valuisse‘. Sane ille quidem vanis conjectandi lusibus, quum facile posset, uti noluit, ratus id ab divae Critices persona longe abhorrere. Verum enimvero millenae Bekkeri conjecturae aut summe probabiles sunt, aut certo certiores. Hoc enim omnes spero mihi credituros esse multosque scio in hac sententia constanter permansisse, velut Hauptium virum sagacissimum l. l. p. 246 sq. Et Lucianeas quidem emen-

dationes Bekker partim senex demum reperit, partim earum, si quando Lucianus necessario conferendus esset, margini jam prius adscripserat annis melioribus. Attamen demonstrasse videor, operam in Luciano positam vix satis dignam fuisse, quae Bekkero totius scriptoris esse videretur ‚recognitio'. Longius etiam progressus in Varr. Lect. Praef. p. XX Cobetus Bekkeri Lucianum auguratur ‚cito periturum esse'.

Sed quum criticae artis genus sit duplex, inferioris de quo supra dictum est et superioris, de genere altiore Bekkerum paullo melius promeritum esse censemus vel idcirco quod justum dialogorum ordinem haudquaquam neglexit. Nam Lehmannus meus, ut ait in Praefat. p. XIV, etsi novum instituere ordinem voluerat, quo ordine singuli libri ab Luciano ipso viderentur editi esse: tamen temporum nota vel obscura vel etiam nulla deterritus abjecto hoc consilio ad vulgarem rediit ordinem et consuetum. At genuini libri et spurii vulgo sine ulla ratione confunduntur usque eo ut hi illos nonnunquam alternis excipiant. Itaque ego ante hos LIII annos laudato Lehmanni consilio tantum certe intellexi, adulterinos libros seorsim poni debere et in finem reici ideoque una cum ‚Quaestionibus' libros septem ipsius Luciani edendos curavi spuriis omnibus plane exclusis. Quam rem etiam multo post in omnium operum editione collocatione vulgari saepe mutata constanter adhuc tuitus sum atque defendi. Sed ordinem Lucianeorum idoneum, quem ego quidem probarem, satis habui, ubicunque res ferret, in adnotatione clare indicasse, quod ipse eum sequi inopia codicum saepe prohibitus eram. Simulatque enim codicum collationes meo aere emtas accepissem, hos potissimum libros correxi correctosque evulgavi, necdum editor justum ubique ordinem servare potui, qui vel animo designatus vel reapse ab me iniri coeptus erat. Quo magis hic repetam id quod alio loco dixi, verum ordinem e chronologico et eo qui argumentis rerum nitatur, mixtum

esse debere et temperatum, ut olim vidit C. F. Rankius meus in egregia commentatione: ‚Pollux et Lucianus‘ p. 24. Bekkerus autem, qui illud more suo tacet se hic Rankii vestigiis insistere, vulgarem ordinem ausus est mutare eoque laudem meretur, vituperationem autem eo, quod modum in hac re longe excessit viderique potest summa miscuisse imis. Nam etsi singuli libri non eodem ordine sed alio in aliis codd. passim leguntur, tamen cum editione principe (Florentina anni 1496), ex quo fonte vulgaris ratio ducta est optimi quique codices, ut Vindobonensis B, Gorlicensis A, Vaticanus Γ aliique saepe consentiunt. Quae apparet sua sede relinquenda fuisse nec loco temere movenda, nisi praesens urgeret necessitas. Quin etiam ipse Bekkerus quatuor saltem librorum paria, primum ‚*Βίων πρᾶσις*‘ et ‚*Ἁλιεύς*‘, deinde ‚*Εἰκόνες*‘ et ‚*Ὑπὲρ τῶν εἰκόνων*‘, tum ‚*Ζεὺς ἐλεγχόμενος*‘ et ‚*Ζεὺς τραγῳδός*‘, postremo ‚*Πῶς δεῖ ἱστορίαν συγγράφειν*‘ et ‚*Ἀληθὴς ἱστορία*‘ suo in loco relinquere coactus est. Verum recte vulgo continui sunt duo alii libri (loquitur enim et clamat ipsa historia) alter ‚*Περὶ τῆς Περεγρίνου τελευτῆς*‘ qui a Bekkero XXXXVIII numeratur et ‚*Δραπέται*‘, qui Bekkero est no. XXIX, iidemque etiam in codice quem Vindobonae ipse inspexi, in vestuto illo B fuerant continui, id quod nunc quoque certo intelligas priore libro ut constat dudum exciso. Dixi de hac continuandi necessitate et simul ostendi ‚*Δραπέται*‘ dialogum vere Lucianeum esse in edit. mea Vol. II, P. II p. 236 aliosque adsentientes habui ut Bernaysium in l. ‚Lucian und die Kyniker‘ p. 106. Non minus recte vulgo continuantur dialogi ‚*Προμηθεὺς ἢ Καύκασος*‘ et ‚*Θεῶν διάλογοι*‘ brevique intervallo scripti esse ambo videntur. Quorum priori multae insunt Aeschyli imitationes, alteri I, 1 ab his verbis incipiunt Promethei: ‚*Λῦσόν με, ὦ Ζεῦ —*‘, ita ut argumenta eorum arctissime cohaereant. Ambo enim e duabus Aeschyli tragoediis expressi sunt, una superstite ‚*Προμηθεὺς δεσμώτης*‘ deperdita altera

,Προμηθεὺς λυόμενος', quae ambae ejusdem partes fuerant trilogiae. At Bekker quos dixi dialogos XVIII et XX numerari jussit, quum in medio interposuisset infersissetque ,dialogos marinos' (no. XIX). Quod facinus qua de causa admiserit, nos latet latuitque ipsum fortasse Bekkerum. De aliis rebus, quae ad justum ordinem dialogorum spectant, infra dicetur: nunc quidem plura ejusmodi addere piget. Nam Bekker has res saepe ne potuit quidem intelligere atque ideo neque constitit sibi in proposito neque omnino quod voluerat adsecutus est. Inprimis vero in rebus historicis saepe erravit, quippe qui Luciani vitam literariam, varia ejus fata et multa alia quae ad illius aetatis spectant historiam, parum cognita haberet. Qui etsi chronologicum ordinem nimis neglexit, tamen ad argumenta librorum paulo magis attendisse videtur. Quum autem tot libros Luciano primus ereptum ivisset, rhetorica, historica, philosopha, satirica opera conjungere omnino non potuit, nedum ordine justo disponere. Itaque Bekker exemplo suo docuit, quanto facilius sit falsa vituperare quam ipsum invenire meliora. Attamen in continuatione librorum quid potissimum secutus sit, ipse partim declarat in Praefatiuncula, quae (sicut Bekkeri pleraeque omnes) tam eleganter scripta est, ut F. A. Wolfii disciplinam facile agnoscas. Hic igitur primum Bekkerus queritur Luciani opuscula commoda quadam aut perspicua ratione nusquam distribui atque eo nomine ,temeritatem' editorum graviter accusat. Tum ita pergit verbotenus: ,postquam animum ad edendum appuli, inquit, nihil habui antiquius quam ut eam investigarem continuationem seriemque libellorum, qua alius ex alio nexus et omnes inter se apti colligatique viderentur'. Adparet summam rei verbis contineri postremis, illis quidem elegantissimis, quippe quae ipsius sint Tullii De nat. deor. I, 4 § 9 fin., ubi haec leguntur: ,omnes ejus (Cicero dicit philosophiam) partes atque omnia membra tum facillime noscuntur,

quum totae quaestiones scribendo explicantur: est enim admirabilis quaedam continuatio seriesque rerum, ut alia ex alia nexa et omnes inter se aptae colligataeque videantur'. Ac Tullium quidem nemo reprehendet verissima professum, quum omnes partes phiiosophiae admirabili quadam ratione inter se connexae sint. At vero de satiricis scriptoribus profecto non idem quod de philosophis tenendum est, sed prorsus valet contrarium. Certe singulae partes uniuscujusque libelli apte inter se cohaereant necesse est: neque enim satirici delirabant sed mente praediti erant sanissima. Enimvero Bekker non de uno Luciani libello nescio quo sed de omnium serie loquitur atque in omnibus inter se conjunctis admirabilem quandam continuationem sibi videtur investigasse. Quo uno fundamento locato Lucianum prope totum a sedibus audet invertere. At Bekkero satirici scriptores repugnant ad unum omnes, Horatius, Persius, Petronius. Adde etiam Juvenalem, qui primo libro I, 85 sq. scribit diserte: ‚quidquid agunt homines, votum timor ira voluptas, | gaudia discursus nostri farrago libelli est'. Quamobrem nemo mirabitur, quod Bekkero, qui ab tam falsis initiis profectus erat, nulla fere ex parte in Luciano contigit verum et certum libellorum ordinem restituere.

Haec omnia nobis praemittenda erant, ut via ad eas res muniretur, de quibus disserere hoc tempore proposuimus id est de libris qui inter Lucianeos sunt pseudepigraphis. Omnino hoc criticae genus tam difficile est tamque ambiguum, ut non modo summi viri crebro inter se dissentiant, verum etiam eidem interdum addito tempore ab semet ipsis deficiant atque desciscant. Enimvero in Luciano haec obscuritas eo augetur, quod etsi complures libellos constat spurios esse, nonnullorum tamen fides ejusmodi est, ut aliis criticis genuini aliis suspecti aliis denique adulterini esse videantur. Duae tamen res dubitationem nostram nunc valde minuunt nunc tollunt penitus, altera quod libri certo Lucianei

numero permulti aetatem tulerunt, altera quod dictio et atticismus Luciani tantopere sibi constat, ut ex eo ipso de opusculis suspectis certius paullo ferri judicium queat. Sic quoque ego et juvenis et jam vir factus has quaestiones studui defugere neque eas nisi necessitate coactus unquam adtingere ausus sum. Nunc demum senex meam de tantis rebus sententiam explicare conabor nulla sane perficiendi spe sed experiendi voluntate.

Ac primum quidem ii critici rem acu tetigisse putandi sunt, qui nuper rationibus optimis adlatis singulos quosdam libellos ab Luciano abjudicarunt, sicut eum qui ‚Μακρόβιοι‘ inscribitur, ob causas plurimas Rankius l. l. p. 16 sqq., deinde post alios criticos ‚Δημοσθένους ἐγκώμιον‘ Grauertus in l. Histor. u. philol. Analekten p. 289 sq. adnot. 80, qui argumento potissimum libri ducitur, postremo spurcum dialogum ‚Ἔρωτες‘ Cobetus in Varr. Lect. p. 117 et p. 257 vel ob dicendi genus minime Lucianeum. Contra ea Bekker tristi tantum nota (p. 153) praefixa ΑΛΛΩΝ ΤΙΝΩΝ spurios (ut ipse putabat) libellos tacito de Luciani corpore avellere maluit. Nihil enim e praefatione ejus discitur, in qua narrat sua opera et nova librorum transpositione exploratum esse ‚quid dignum Luciano quid indignum esset‘. Quasi vero non omnes libros, quos genuinos esse negamus eo scriptore cui tribui solent dicamus indignos esse. At forsitan Bekker propterea jure suo tacuerit, quod eos tantum libros qui jam a plurimis inter spurios relati erant, ἄλλων τινῶν fuisse judicaret. Ergo id quoque, cujusmodi sit et quam late pateat, nunc videamus. Principio F. Jacobsius, qui criticus diu et multum in Luciano versatus est, quum alibi unum alterumve libellum (duo inquam, non plures) in suspicionem adduxit, tum in Appendice ad Porsoni Adversar. ed. Lips. p. 288, p. 290, p. 297 et p. 304 omnino quinque opuscula vel eorum partes ab Luciano abjudicavit, in quibus

ipsis tria minimum insunt certo genuina, Necyomantia, Icaromenippus et Deorum concilium, similisque aliorum modestia criticorum reperitur. Hinc et Groddeckius in Hist. Graec. Lit. II p. 155 totam rem quasi leviorem paucis tetigit (,de aliorum librorum fide, inquit, dubitatur ut de libello De dea Syria') ac tum quem supra dixi Jacobsi locum addidit, et vero Schoellius (in l. Geschichte der Griech. Literatur II p. 477 sqq. ed. Pind.) sex tantum libellos Luciani esse negavit, quatuor certa sententia dialogum ,'Ἀλκυών' (p. 477), ,Λούκιος' (p. 486), ,Δημοσθένους ἐγκώμιον' (p. 492) et ,Φιλόπατρις' (p. 493 sq.), duo autem non sine dubitatione ,Νεκυομαντεία' (p. 479) denique ,Ἔρωτες' (p. 485). Omnium longissime (Bekkerum hic semper excipio) progressus Dindorfius in praefat. ad Lucianum p. IX sq. duodecim libros ab Luciano scriptos esse negat additque, si omnis haec quaestio accuratius pertractata fuerit, posse fieri ut unum alterumque praeterea libellum Luciano suppositum esse appareat. Quae quum ita sint, sequitur quatuordecim summum opuscula pro spuriis vel saltem dubiis habita esse. Verum enimvero J. Bekker quum ipsi Luciano LIII tantum libros reliquisset, ἄλλων τινῶν fuisse opuscula XXVIII narravit vol. II p. 153—450, narravit autem ut omnia, tacito. Atqui jam inde ab renatis literis hic mos legis instar obtinuit semperque valuit, si quis graecum aliquem librum vel latinum esse spurium judicasset, ut is cogeretur rationem reddere et argumentis opinionem suam defendere. Quae quidem lex si violetur neque mordicus ab omnibus retineatur, non modo de dignitate sed de salute literarum nostrarum desperandum est. Bekkero ut liceat e Luciano ipsum tollere Lucianum? ut ille solus solo nutu et supercilio octo et viginti libros impune ejicere possit atque proscribere? Neque enim verbis sed verberibus studuit omnem hanc litem dirimere: si tamen lis est, ubi Bekkerus pulsat, Lucianus vapulat tantum. Et quanquam aliquid eum patet hic quoque secutum esse, nemo

tamen ne suspicione quidem ipsas rationes potest adsequi: quae rationes ut haud minumi preti fuerint, cur tandem inter labra atque dentes latuerunt? Quapropter libro vixdum edito ego ira percitus Bekkero de Luciano non bene mutilato volui rescribere. Hoc dum ago, illud Cobeti volumen ‚Variarum Lectionum' ad me perlatum est. Tum vero mihi rescripturo magnopere verendum erat, postquam ‚recognitio' Bekkeri Cobeto ludibrium debuerat, ne ἀθετήσεις quoque et obeli novi novorumque decuriae aliis inrisui forent. Hinc subito consilium mutavi, naturae meae reddidi debitum, ad indulgentiam pristinam et in erroribus aliorum ferendis lentitudinem reverti, memor fui dicti illius: ‚opinionum commenta delet dies', idque tanto magis tenui, quo plus olim ipse adolescens ex optimis illis Bekkeri libris in re critica didiceram. Quin etiam ipse Bekkerus de obelorum suorum salute videtur pertimuisse. Dixerat enim praeter alios Dindorfius in Praef. ad Lucian. p. X, plures quam XII scriptiones in dubium certos homines vocasse, ceterum eos, quam gravibus causis in tali quaestione opus sit, usque eo nescivisse, ‚ut argumenta adtulerint partim nulla': quibus verbis Bekker solus petitus erat. Quibus lectis Bekker, quoniam ipsum vox plerumque deficiebat, callidum consilium iniit, ut tuendi sui causa voce uteretur aliorum. Ecce enim paucis mensibus post edita est Isidori Guttentag haec commentatio: ‚De subdito qui inter Lucianeos legi solet dialogo Toxaride'. Dicata est illa quidem A. Boeckhio et M. Hauptio, verum quaestio ipsa non ab his duumviris proposita erat sed ab uno Bekkero, id quod prima libelli verba testantur: ‚Toxarim dialogum — Bekkerus in subditicios retulit, et consensu philosophorum ordinis proposuit, ut investigaretur, primum aut abs quo aut certe tamen quando scriptus esset, deinde —'. Ac nemo aut Boeckhio aut Hauptio, quorum neuter Lucianum antea ipse tractarat, vitio vertere potest, quod cum editore Luciani consenserunt. Hi enim duumviri quum

ipsi nullum librum evulgarunt nisi post diuturnam praemeditationem non aequalibus solum verum etiam posteris consulturi, tum eidem sciebant Bekkeri quoque libros olim fuisse optimos, postremo Lucianum e Samosatensi Berolinensem senile opus e prioribus Bekkeri operibus metiebantur. Contra Bekker non videtur reputasse, quanto cum periculo suo hanc quaestionem proposuerit. Quid enim futurum erat, si quis juvenis doctus docte ostendisset, Toxarim dialogum haud dubie genuinum esse, Bekkerum autem procul ab vero aberrasse? Neque enim fieri potuit, ut juvenis tali dissertatione tradita et ob doctrinae copias praemium acciperet et idem per causam arrogantiae ferret repulsam. Attamen eventus ad Bekkeri spem tam feliciter respondit, ut J. Guttentagius non dubitaret pro uno saltem ex tot Bekkeri obelis propugnare. Tametsi autem Guttentagii opera ad summam rei prorsus nihil arbitror profectum esse, tamen ejus libellum, qui neque disserendi subtilitate neque modicae doctrinae adparatu nec pura caret elocutione, praemio quodam haud indignum fuisse censeo.

Sed nunc, ut ait Flaccus, ‚amoto quaeramus seria ludo‘. Nam J. Bekker olim, quod equidem adhuc potuerim observare, spuriis quoque recte notandis optimo cuique criticorum obsecutus velut in editione sua Platonis magnam quandam moderationem atque prudentiam exhibuit. Quid igitur Lucianus commiserat, ut subito in hunc unum tanta crudelitate inciperet saevire? Quanquam unius et item alterius obeli excusatio quaedam in eo posita est, quod eum critico Jacobiti adparatu oportuit esse contentum. Hinc enim multa vitia Luciano sane indigna, quae in aliis codd. emendata leguntur, omnium librorum communia et ipsius scriptoris propria esse opinatus non potuit non opusculum ipsum quasi spurium foras proicere. Equidem quo certius ab genuinis spuria distinguerem, potissimum haec firmiter tenere consuevi. Primum

adolescens in Photii Bibl. c. 128 p. 96 ed. B. de numeris Luciani melle dulcioribus haec legeram: *συνθήκη αὐτῷ οὕτως ἥρμοσται, ὥστε δοκεῖν τὸν ἀναγινώσκοντα μὴ λόγους λέγειν ἀλλὰ μέλος τι τερπνὸν χωρὶς ἐμφανοῦς ᾠδῆς τοῖς ὠσὶν ἐναποστάζειν τῶν ἀκροατῶν.* Paulo post ubi Philostrati ‚Vitas Sophistarum' coepi evolvere, nullius temere vitam ab eo vidi expositam, quin de eorum numeris (*τοῖς ῥυθμοῖς*) judicium ferret laudaretque alios, alios reprehenderet. Ita quod nondum ex ipso dispicere potueram, Photius primum me docuit, Luciani orationem esse numerosam, quam rem ex eo tempore nunquam neglexi sed esse putavi gravissimam. Ignorarunt autem totam hanc rem editores Luciani ad unum omnes in his J. Bekker, ignoravit ipse Valckenarius, qui ad Eur. Hippolyt. v. 415 et alibi numeros orationis quasi veri scilicet poematis in poetae comici versus transformabat. Enimvero Lucianei numeri plane sunt admirabiles et vel Isocrati numerorum post Thrasymachum parenti haud dubie anteponendi, hoc est eis vitiis immunes, qui nunc in Isocrate latent neminem. Et quo quisque dialogus maturiori aetate confectus est, eo numeros exhibet meliores. Sciunt omnes duo dialogos, ut his utamur, alterum *Ὄνειρος ἢ Ἀλεκτρυών* alterum nomine *Κατάπλους* eximios esse, ex quibus Cataplus mea sententia editus est, quum Lucianus annos natus esset circiter quinquaginta id est a. CLXX p. Chr. n. paullo post mortem Theagenis Patrensis philosophi Cynici. Utrique autem dialogo numeri insunt excellentissimi. Haec qui diligenter consideraverit, profecto concedat necesse est, eos dialogos quorum oratio numerosa sit et qui numeros habeant Lucianeis ubique simillimos, vel propter ab Luciano abjudicari nullo modo posse. Deinde Lucianus initio syriace locutus erat neque parentum diligentia inde a puero erat doctus et eruditus, neque graecarum literarum initia tanquam cum lacte suxerat nutricis. Quum enim adolescens demum ad graecos rhetoras (Smyrnam ut

opinor) deductus graecismo atticismoque dare operam coepisset, mox rhetoricam profiteri, fictas causas declamitare et hujus generis scriptiones edere ausus est. At non ita multo post vidit, se in rhetorica, quae ars tum sane fuit fructuosa, vix operae pretium esse facturum. Quare ab rhetorica ad dialogos scribendos se contulit et eos maxime satyricos. Quumque diutissime vixerit, habemus et juvenis et viri et vero senis opuscula: scripsit enim ad extremam usque senectutem. Ita in ejus libris variae aetates ipsius vitae, varia etiam genera scripturae probe discernenda sunt. Facilitas enim sermonis, quae eum postea ornabat, in juvene adhuc desideratur, necdum numeri ejus satis exculti sunt. Omnes tamen recte consentiunt, declamationes *Φάλαρις α'* et *β'* similesque ab ipso profectas esse, id quod auctoritate constat Photii in cod. 128 init. p. 96. Quocirca ego si quem librum primo pro suspecto habuissem, postea autem ipsi tribuissem Luciano, nonnunquam usurpavi illum versum Flacci: ‚quo teneam voltus mutantem Protea nodo?' Ergo si quis de Luciani libris partim genuinis partim subditis judicare voluerit, ei (ut optime Rankius l. l. p. 23) summa opus est diligentia et cautione. Atqui quod ad Bekkerum pertinet, nullus locus vel cautioni relictus erat in festinatione adeo praecipiti vel diligentiae in sene editore centum voluminum graecorum. Tum nihil opus est, qui Platonem et Aristotelem edat, magnum esse philosophum, qui historicos, ipsum quoque esse historicum, aut archaeologum, qui (ut Bekker indignante C. G. Siebelisio priori editore) Pausaniam edere audeat, aut qui Lucianum evulget, eum satyricum esse Liscovio haud inferiorem. Non, inquam, opus est, neque unus potest omnia, neque id requirimus. Illud potius requiritur, ut qui spuria ab genuinis discernere velit, eum nota certa ne deficiat, unde ratio sumatur judicandi. Ita nihil ille antiquius habebit, quam ut in ipsius scriptoris ingenium, tanquam in aliquod sacrarium

studeat penetrare. Atqui id Bekkero quum in nullo contigit scriptore, tum minime omnium in Luciano. Omnino enim Bekker quoscunque edidit, eos ad codicum normam regulamque revocavit, criticum et grammaticum egit vel in minutiis ut in usu vocularum μὲν vel ἂν vel similium, denique semper in graecismum intentus verba sola respexit, res ipsas parum curavit. Atqui talis criticus spuria ab genuinis et a falsis vera vix ullo pacto potuit internoscere. Porro cum ipso Luciano comparandi erant potissimum Plutarchus, Dio Chrysostomus, Aelius Aristides, Maximus Tyrius, Artemidorus, cum spuriis autem libellis Aristaenetus et Alciphro, quos ille non videtur lectitasse, si tamen legere nihil est aliud quam edere. Nam horum plurimos non edidit sed alios supparis illos quidem aetatis sed in nostra causa leviores, Appianum, Sextum Empiricum et Herodianum historicum. Denique Luciani atticismus finibus circumscribitur perangustis, certas ille notiones verbis certis et plerumque iisdem eloquitur et res quoque easdem saepe verbotenus iterat vel repetit etiam saepius. Hinc multas ex meis emendationibus, quas aliis jure probavi et quibus ego haud ita multum tribuo, ex ipso petii scriptore, cujus magnam partem teneo memoria comprehensam. At eximia quadam laude duo criticos mihi videor prosequi posse, Hemsterhusium atque Cobetum, qui quum non tantum temporis huic impendere satyrico potuissent, tamen plurimos locos ex ipso Luciano praeclare correxerunt. Contra ea Bekkerus nonnisi eos locos bene correxit, quorum graecismum ex aliis mutuari scriptoribus atticis potuisset, neque in tota Bekkeri editione ulla conjectura exstat, quam Bekker ex usu unius petierit Luciani. Quo magis licet mirari, unde hic criticus sibi visus sit exploratum habere, quid dignum Luciano esset quidve indignum. At, dixerit quispiam, J. Bekker criticus fuit graecae linguae longe peritissimus. Audio, idque concedo pertinere ad miserum dialogum ‚Φιλόπατρις‘, qui octo saeculis post

Lucianum scriptus est, nego autem et pernego ad caeteros id spectare libros spurios, qui paulo post Lucianum compositi sunt. Quare non dubito adfirmare quod sentio et quod res est, Bekkerum neque quid dignum aut indignum Luciano sit scivisse, neque omnino de tantis rebus, quantae hic dijudicatione operum spuriorum continentur, recte potuisse judicare. Quodsi literarum honos id mihi poscere visus esset, eadem omnia vivo adhuc scripsissem Bekkero, cui exedendum esset quod sibi ipse intriverat. Nam hoc unum largior, alio modo istos Bekkeri errores haud inutiles fuisse. Praeterquam enim quod ipsa refutatio literis nostris proderit, eo saltem nomine Bekker laudandus est, quod pulchri venustique aliquem sensum habuit et intelligentiam. Complures enim libelli, quos ab Luciano scriptos esse pessime negavit, ab Luciano adhuc juvene compositi sunt. Ad quam rem demonstrandam exemplo utar luculento. Nam de parente libri ‚Νιγρῖνος' ego ad Lucian. Vol. II P. II p. 50 haec scripseram tantummodo: ‚hunc dialogum ab ipso Luciano et eo juvene scriptum esse inter caeteros recte convenit: sed C. F. Rankius *) (Pollux et Luc. p. 23) itemque J. Bekker Nigrinum alius esse scriptoris opus inepte suspicati sunt'. Dolebam, quod Rankius in tantum errorem incidisset. Quanquam in illa ipsa commentatione hoc vitium magnis compensavit virtutibus. Nunc etsi taedet pluribus dicere de re aperta, tamen quoniam mihi cum Bekkero res est, vincam animum proferamque rationes. Namque ‚Nigrinum' et librum certo Lucianeum ‚Περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων' ab eodem scriptore confectos esse vel argumenti docet et tractationis similitudo. Idem utrobique est odium urbis Romae, quam valde inridet et exsecratur, par Graeculorum contemtio, qui

*) Verba Rankii haec sunt: ‚adeo Nigrinum sive de moribus philosophi alius esse scriptoris opus suspicor.' Rationes ille nullas adtulit.

divitibus Romae serviant, gemina honestae paupertatis laudatio, quae Croesi thesauris praefertur, denique similia sunt omnia. Quare Lucianus aut neutrum aut libellum scripsit utrumque. *) Prorsus eandem rem alio modo etiam Juvenalis et in quinta satura et in tertia bis tractavit, quas ambas ab eodem poëta profectas esse necesse est. Sin autem quis dixerit, alteram Juvenali vindicandam esse alteram alio transferendam verbi causa in Turnum, is in eodem luto haerebit et ab Juvenali ipso refelletur. Quodsi Bekkerus nosset Lucianum, facile animadvertisset in Nigrino ubique dictionem esse prorsus Lucianeam, id quod vel egregius ille Hemsterhusi docebit commentarius. Quanquam magni Batavi copias multimodis licet augere ut primis statim totius libri verbis: ‚Λουκιανὸς Νιγρίνῳ εὖ πράττειν‘ bene interpretandis. Nimirum et Nigrinus et etiamtum Lucianus erant Platonici, quorum usitatum ac prope constans salutandi genus fuit εὖ πράττειν. Quod quidem quum aliunde tum ex ipso Luciano Vol. III p. 325 et inprimis Vol. I p. 728 ed. Reitz. clare intelligi potest. Et hoc quidem non fugit Bernaysium (in l. Lucian und die Kyniker p. 88 sq.), qui vellem p. 89 Bekkeri nugis plane abstinuisset. Neque enim sano homini dubitare licet, quin ‚Nigrinus‘ dialogus ab Luciano ipso compositus sit. Ceterum fuerunt, qui hunc librum plus justo conlaudarent et admirarentur, quos male sequitur Groddeckius in Hist. graec. liter. II p. 155, ubi: ‚plurima Luciani scripta, inquit, aetatem tulere, in quibus praecipua sunt Somnium, Nigrinus —‘. At juvenis viri opus non debuit tanta laude impertiri. Immo et dialogi compositio in Nigrino adhuc satis est aspera et vero numeri nondum bene perpoliti

*) Quae similitudinis translatio est in Nigrino c. 38, eadem iisdem verbis in Philopseude c. 40 reperitur nec praeterea in ullo alio scriptore. Ita si ‚Nigrinus‘ non est genuinus, nihilo magis Luciani esse potuit ‚Philopseudes‘.

sunt, id quod Bekkerus quoque partim videtur sensisse. Et hoc illud est quod paulo ante dixi in dijudicando Bekkerum sensu quodam venusti non caruisse. Sequitur, ut ad libros vere spurios transgrediamur et seorsim de unoquoque disseramus: quam rem hic omittendam esse video et in aliud tempus differendam.

Fieri potest, ut quae ante libelli nostri editionem tractanda erant, ea partim omnino non legisse videamur, non fastidio neque fastu, a quo procul abhorreo sed vitio senectutis, quam esse constat obliviosam. Saepe tamen censores ea male omissa queruntur, quae ne potuerunt quidem adferri, utpote non ante editionem sed postea demum evulgata. Accidit hoc ipsum professoribus eloquentiae fere omnibus, ut G. Hermanno, A. Boeckhio, F. Passovio, F. Naekio, M. Hauptio aliisque. Crebro enim nobis commentationes, quas statim edere subito jussi sumus, intra dies perpaucos in lucem emittendae sunt: quod perficere nemini liceret, nisi jam antea scriptae fuissent. Similia de se et de prooemiis suis tradit Tullius in Ep. ad Atticum XVI, 6 extrem: ‚habeo, inquit, volumen prooemiorum. Ex eo eligere soleo, quum aliquod σύγγραμμα institui.' Ego quam ‚de numeris' dissertationem nuper edidi, de ea censuram humanitatis plenam in ‚Philologo' (Philolog. Anzeiger Bd. VII p. 359 sqq.) egit A. Weidner, cui viro Juvenalis explicationem laudabilem debemus. Tamen hic quoque censor plus semel commisit, ut nos inique vituperaret. Miratur autem ac paene indignatur, quod ego neque F. Blassii libro: ‚Die attische Beredtsamkeit', Lips. a. 1868 (dicere videtur p. 246 sqq.) neque R. Volkmanni: *) ‚Die Rhetorik der Griechen', Lips. a. 1874 (dicit p. 442 sqq.) usus fuisse deprehendar. Is vero et

*) [Verissima sunt quae de numeris pedestribus apud utriusque linguae scriptores dixit R. Volkmann in l. ‚Die Rhetorik der Gr. und Römer p. 451: ‚Bis jetzt, inquit, fehlt es für den Nachweis der rhythmischen Regeln in der alten Prosa, dessen sorgfältige Beachtung sicherlich auch für die Texteskritik nicht ganz ohne Belang sein dürfte, noch so gut wie ganz an Vorarbeiten'. Atqui hoc ipsum, in quo totius rei cardo vertitur, nescio quo modo censorem meum penitus videtur latuisse. Ex Addendis.]

Blassii et Volkmanni ab nobis mentionem factam reperiet in commentatione altera. Prior enim quam adhuc solam edidi sane a. 1875 demum lucem vidit, sed multo prius scripta est, quam duo illi libri Blassi et Volkmanni innotescerent. Nam quum adolescens e Photio in Biblioth. cod. 128 didicissem numeris Lucianum dulcibus usum esse: in hisce numeris inveniendis summopere coepi elaborare. Cupiebam enim e rhythmis quoque tum genuinos dialogos melius agnoscere tum certior fieri de Lucianea electione verborum et de vera collocatione. Tum aliquot annis interjectis simulatque haec studia maturitatem suam habere visa sunt, chartis mandavi omnia edendi causa, sed multo post id est a. 1875 tandem paucis vel additis vel etiam mutatis primum in lucem emisi. Ita qualiacunque demum ista sunt, mea certe unius sunt omnia, neque ullam literam aliis possum acceptam referre. Bipartitam autem operam meam esse volui, ita ut priore loco rationem Luciani unius haberem et de numeris pedestribus veterum scriptorum praeceptu complecterer. Contra in altera parte, quam animo designatam necdum literis perscriptam habeo, volueram de numeris Platonis, Demosthenis maximeque de Isocrateis disserere et si quid interim de hoc numerorum genere ab aliis bene expositum fuisset, id quoque cumuli loco adicere. Ergo prior de numeris commentatio jam olim scripta est, quam his de causis diu multumque cunctatus sum in lucem proferre. Nimirum a. 1827 Lipsiae Demosthenem explicaram in scholis Academicis ita ut saepe etiam de numerorum natura dissererem, sive lectio aliqua recipienda videretur sive reprobanda. Quod quum amicis meis doctissimis viris forte narrassem, graviter ab eis increpitus sum, quorum talis fere tum oratio fuit. ‚Quantum laudis, inquiebant, rhythmis accedet, tantundem de metrorum doctrina, cui tu ipse deditus es, tibi decesserit. Aut si rhythmi quoque pervestigandi sunt, tu vero saltem eos in solis quaere poetis. Quodsi ne

de Pindaricis*) quidem numeris et poetarum scenicorum ubique satis constat: quomodo tandem fieri poterit, ut unquam numeri inveniantur orationis solutae? Noli, quaeso, ista quaerere, sed operae et tempori parce, ne laureolam quaesisse videaris in mustaceo.‘ His ego vocibus ab edendi consilio tum deterritus sum, ne communi paene philologorum invidia tanquam aliquo incendio conflagrarem, et satis habui me solum scire, quod etiamtum solus sciebam. Postremo tamen in hac literarum nostrarum luce non diutius tacendum esse duxi sed speravi edendi audaciam me impune laturum esse. Quin etiam at juvenes philologos ad haec studia capessenda adhortarer, a. 1875 e fasciculo dissertationum mearum elegi veterrimam h. e. illam ipsam ‚de numeris orationis solutae‘. Nam jussus eram philologos Germaniae Rostochii congregatos benevola scriptione salutare illorumque virorum societati ipse praeesse. Haec mihi videbantur praefanda esse.

Caput V.

De numeris orationis solutae dissertatio prima.

Quod ad numeros orationis solutae pertinet, horum primus auctor Thrasymachus fuit Calchedonius, uti Tullius in Oratore c. 13 et c. 52 diserte testatus est, quocum Aristoteles in Rhetor. III, 8 consentire videtur. Ita enim Tullius errorem suum bene correxit, qui antea non semel (De Orat. III, 44 et in Brut. 8) quasi principem inveniendi male nominasset Isocratem. Ita-

*) Legi ego his ipsis diebus duas alias alius viri de libellis Pindaricis censuras, quibus censuris novi rhythmi, graecismi novi, novae depravationes, nova denique omnia continentur. Cujus impudentia censoris nihil propius factum est, quam ut iste Pindarum τὸν φεύγοντα Βοιωτίαν ὗν Circaeo quodam poculo in monstrum converteret. Difficile est, saturam non scribere.

que primus ante Isocratem Thrasymachus intellexit, solutam quoque orationem numeris quibusdam oportere adstringi. De hoc igitur numerorum genere nunc breviter dicam, multis de industria relictis, quae fortasse mox alii uberius exsequentur. Nam et jucunda et eadem sane gravis res est eoque gravior, quod non solum ad graecam linguam refertur verum etiam ad latinam. Proficiscar autem nunc a Graecis, a quibus haec res tota primum profecta est, id est a Thrasymacho. Cum Aristotele in Sophist. Elench. XXXIV, 5: *Τισίας μὲν μετὰ τοὺς πρώτους, Θρασύμαχος δὲ μετὰ Τισίαν, Θεόδωρος δὲ μετὰ τοῦτον κ. τ. ἑ.* de hujus viri aetate inter omnes convenit, non item de anno natali, qui definiri non potest. Quum enim Lysias natus esse vulgo dicatur Ol. LXXX, 2 (459), Thrasymachus paulo ante Lysiam in lucem editus Theophrasto ap. Dionys. De Lysia c. 6, paulo post autem ipsi ibidem Dionysio videbatur neutro dubitante quin ambo fuerint aequales. Ergo, ut bene Cicero in Oratore c. 52, Isocratem Thrasymachus profecto integra aetate praecurrit. Nam in laudabili et docto Suidae s. *Θρασύμαχος* loco, qui nunc unus discrepat, in his verbis: — *εἰσηγήσατο· μαθητὴς Πλάτωνος τοῦ φιλοσόφου καὶ Ἰσοκράτους τοῦ ῥήτορος* manifesta lacuna nondum videtur animadversa esse. Supple: *εἰσηγήσατο· μαθητὴς [Γοργίου, διδάσκαλος δὲ] Πλάτωνος τ. φ. κ. Ἰ. τ. ῥ.* Nam et Plato et Isocrates vix ac ne vix quidem numerum oratorium ab alio discere nisi a Thrasymacho poterant, qui hunc ipsum numerum modo primus invenerat. Obtrectatio autem discipulorum neque nova est et in Platone acri sophistarum inimico vel ideo excusatior, quod non tam rhetorem magistrum oderat quam eundem sophistam. Nam quae de vitiis Thrasymachi Arrianus, Themistius, Philostratus declamarunt, non ex Aristotele, qui partim tantum consentit, sed ex uno omnia fluxerunt Platone, ut J. Geelius in Hist. Soph. p. 203 intellexit. Solus

igitur Plato tanta petulantia tamque asperis moribus Thrasymachum fuisse dixit, ut pro quodam sycophanta haberi non immerito posset. Hoc igitur in medio relinquere licet: neque enim mores viri nunc nobis rimandi sunt. *) Quid, quod Philostratus in Vitis Soph. p. 497 (§ 14·p. 210 ed. K.) Platonem ipsum male interpretatus sophistam fuisse Thrasymachum et in epidictico genere versatum esse temere negavit. Contrario errore Dionysius Hal. De Isaeo c. 20 (p. 628 R.) de arte modo scripsisse Thrasymachum contendit et totum fuisse in epidicticis, nullam autem reliquisse orationem deliberativam et ne forensem quidem eloquentiam exercuisse. At Dionysium, qui hac in re sibi ipse iterum iterumque adversatur, Geelius l. l. p. 204 bene refutavit. Haec perpendenti mihi et tenuissima Thrasymachi fragmenta spectanti in mentem venit vereri, ne pleraque opera Thrasymachi, cui Isocrates obstitisse videtur, admodum mature interciderint. Partem operum legerat adhuc Hadriani tempore Julius Vestinus, qui e Thucydide, Isaeo, Isocrate et e Thrasymacho aliisque rhetoribus eclogas composuerat auctore Suida s. Οὐη-στῖνος (II p. 1207 ed. B.). At in IX voll. Rhetorum, qui ab Walzio editi sunt, ne nomen quidem Thrasymachi exstat. Quo magis H. Sauppio in Fragm. Orat. Att. p. 164 adsentior, qui Quintilianum III, 3, 1 Aristotelis verbis male intellectis errasse de Thrasymacho censuit, quem scriptorem Quintilianus ipse omnino non legisse videtur. Reliquiae autem librorum Thrasymachi ab Geelio l. l. p. 206 sqq. et doctius ab Sauppio l. l. p. 162—164 pertractatae sunt. Ingenio quidem hic

*) De ejus morte Juvenalis Sat. VII, 203 haec habet: ‚paenituit multos vanae sterilisque cathedrae, | sicut Thrasymachi probat exitus‘, ubi scholiasta vetus: ‚rhetoris apud Athenas, qui suspendio periit‘. Clades Atheniensium sub finem belli Peloponnesii et paulo post multis interitum adtulit, quorum in numero fuisse suspicor Thrasymachum. Certe Thrasymachus Lysandri aetate et Nicerati adhuc superstes erat teste Aristotele in Rhetor. III, 11.

scriptor fuit admirabili summaque doctrinae copia et rhetoricen praeclaris auxit inventis. De qua arte unus multo melius videtur meritus esse quam rhetores caeteri praeter Coracem et Tisian primos artis repertores. Nam Gorgias quae optime invenerat, ea ipse adeo depravavit, ut aliis mox irrisui essent, Thrasymachus autem evicit, ut oratores graeci serioresque sophistae ipsius inventis per annos uterentur fere octingentos. Sed quonam dicendi genere hic rhetor et sophista usus fuerit, deinceps videndum est. Quum igitur et ipse et Gorgias primum arte quadam verba vinciret, Thrasymachus in scribendo et concisus erat et rotundus, neque ut Isocrates mox facere instituit, sententias verbis solebat dilatare. Hoc in Oratore c. 13 ab Tullio traditum est constanti Isocratis laudatore. At Dionysius Hal. (De Isocrate c. 12) hoc ipso nomine Isocratem bene reprehendit, quod sententia dictioni ejusque numero soleat servire. Eidem alio loco (De Lysia c. 6) jure visa est haec ipsa dicendi virtus plane admirabilis: ἡ συστρέφουσα τὰ νοήματα καὶ στρογγύλως ἐκφέρουσα λέξις. Qua facultate Lysiam inprimis excelluisse dicit neque in eo fallitur. Sed de primo auctore suam quandam opinionem proponit: ἧς (ἀρετῆς) Θεόφραστος μὲν φησιν ἄρξαι Θρασύμαχον, ἐγὼ δ' ἡγοῦμαι Λυσίαν — οὐ μέντοι διαβεβαιοῦμαί γε, ὁπότερος ἦρξε τῆς ἀρετῆς ταύτης —. Ceterum Lysias non diu rhetor fuit, Thrasymachus autem rhetoricam perpetuo, ut videtur, professus est. Jure igitur Cicero in Oratore c. 13 et solos rhetoras nominat Lysia omisso et concisae rotundaeque dictionis laudem ut inventori uni tribuit Thrasymacho. Qui si forte etiam aliis orationes scripsit vel ipse causas actitavit, apte ei conveniet virtus in judiciis admodum necessaria. Illud non miror, quod Dionysius (De Lysia c. 6) praeter Thrasymachum hujus laudis participes esse voluit et Lysiam et Demosthenem, qui duumviri ob diversum dicendi genus plerumque sibi invicem opponuntur. Nam ut multa unius propria sunt Lysiae

et unius Demosthenis, ita non pauca magnorum oratorum scimus communia esse. Alium vero de dictione Thrasymachea locum Dionysii Hal. (De Vi Demosth. c. 3) adparet multo esse graviorem. Primum ille (ibid. c. 1) genus dicendi describit a communi sermone alienum et artificio plenum rhetorico, cujus generis quasi normam quandam et regulam proponit Thucydidem. Huic deinceps (c. 2) simplex dicendi genus opponit et communi locutioni simile, quod ab Lysia judicat perfectum esse. Postremo (c. 3) medium genus et ex his duobus compositum docet hoc habuisse, ut nunc percelleret mentem nunc demulceret, ut et vehementes motus excitare posset et lenes affectus animo insinuare. De cujus primo inventore ita loquitur: *ἣν ὁ μὲν πρῶτος ἁρμοσάμενος καὶ καταστήσας εἰς τὸν νῦν ὑπάρχοντα κόσμον, εἴτε Θρασύμαχος ὁ Καλχηδόνιος ἦν, ὡς οἴεται Θεόφραστος, εἴτε ἄλλος τις, οὐκ ἔχω λέγειν* —, non sine absona dubitatione. Nam Dionysius ne poterat quidem hanc rem scire, Theophrastum autem tanto ante eadem latere vix poterat. Illud tamen optime Dionysius addit, medium genus ab Isocrate et Platone susceptum et praeclare excultum, ab Demosthene autem plane absolutum esse et perfectum, denique ad ipsius usque Dionysii tempora traditum esse et semper propagatum. Ita repertorem alii postea ut Plato ut Demosthenes haud dubie superarunt: nihil autem uno tempore et inventum est et perfectum. Ceterum Thrasymachus longe optimum dicendi genus non solum abhibuit, sed ipse omnium primus invenit caeterisque, qui se ducem sequerentur, viam monstravit. Sed Dionysius, ut consuevit, hic quoque aliquem speciminis causa locum verbotenus affert sumtum illum quidem e Thrasymachi concionibus. Quem etsi saepe mendosum et subinde mutilum esse dolemus, tamen Reiskii et (in Fragm. Orat. att. p. 163) Sauppii acumine ita saltem vel correctus est vel suppletus, ut bene legi possit et certo intellegi. Quumque idem paulo longior sit, totus ejus-

modi est, ut orationis Thrasymacheae si non expressam imaginem at simulacrum adumbratum adhuc videamus. Ac de numeris quidem, qui non tam ab universa sententia quam a verbis singulis pendent, hujus fragmenti ope judicari non potest. Hoc tamen adseverare licet, nusquam hic oratorem *γοργιάζειν*, i. e. Gorgiae figuras putide imitari. Illud quoque, quod Dionysius ex hoc saepius collegit, dicere ausim, orationem ‚*τῆς ὄντως μεσότητος*‘ laude dignam videri, hoc est tam apte temperatam esse ut ex utroque genere utilia decerperet. Sed quae huic fragmento Dionysius praemisit, diligentius placet excutere. Primum igitur in verbis: *ἡ μὲν οὖν Θρασυμάχου λέξις ἡ λοιπὴ* — nullum vitium puto inesse. Verto autem sic: ‚Thrasymachi elocutio, quae quidem adhuc exstet‘: quo significatur non ita multas illo tempore Thrasymachi orationes superfuisse. Deinceps et laus et reprehensio loco continetur vitioso: *κέκραται γὰρ εὖ* (ita Sylburgius pro *εἶ* et mox *βουλήσει* pro *βουλεσει*) *πως καὶ αὐτὸ τὸ χρήσιμον εἴληφεν ἑκατέρας δυνάμεως· ὡς δ' οὐκ ἴσῃ βουλήσει κέχρηται, παράδειγμα ἐξ ἑνὸς [παραθήσω] τῶν δημηγορικῶν λόγων τόδε.* In fine ego non *θήσω* ut alii supplevi sed *παραθήσω*, quod vocis *παράδειγμα* similitudine videtur haustum esse. Caetera vero Sauppius (l. l. p. 162) sanavit emendatione palmari: *κ. γ. ε. π. καὶ αὐτὸ τὸ χρήσιμον εἴληφεν ἑκατέρας· δυνάμει δ' ὡς οὐκ ἴσῃ τῇ βουλήσει κέχρηται, παράδειγμα* —. Nam *δύναμις* est ‚vis eloquentiae‘, ut in locis Schaeferi ad ipsum Dionys. D. C. V. p. 410. Negat igitur tantum potuisse Thrasymachum, quantum ipse voluerit, quippe cui vis orationis deesset. Grave judicium, quis negat? de eo praesertim, quem neque Lysiae simplicitas neque vigor quidam orationis defecerit, quem denique videamus Gorgia longe superiorem fuisse. Vix tamen ab Dionysio dissentiet, qui ipsum locum Thrasymachi adtente perlegerit. Queritur ille bellum tum maxime saevire, rempublicam indignatur perturbatam esse, postremo tantas

res tractat tamque atroces, ut eum mirere non multo magis animo incaluisse. Ubi est celebrata illa Demosthenis δεινότης, ubi sunt Periclis fulmina? Ut nunc est, non multo altius Thrasymachus adsurgit, quam ubique solet Isocrates, in quem transferas C. Caesaris de P. Terentio versum hunc: ‚lenibus atque utinam scriptis adjuncta foret vis —'. Sane certatim docent Plato in Phaedro p. 267, c et Aristoteles in Rhet. III, 1 egregie Thrasymachum docuisse, quomodo vel misericordia vel ira in animis hominum commovenda sit. At hoc rhetoris est meri, non magni oratoris.

Sequitur ut quaeramus, laudandusne sit horum numerorum inventor necne, et si laudandus, utrum orationi decus attulerit jucundum tantummodo, an plane necessarium. Confirmo autem hanc non tenuem inventiunculam fuisse sed ingentem quandam inventionem, qua tamen non nego etiam carere Graecos potuisse ut non prorsus necessaria. Ac de magnitudine quidem hujus rei testis est historia et tot memoria saeculorum, quibus inventum Thrasymachi integrum permansit. Carent tamen hac laude et aequo animo carent aliae gentes, quarum scriptores ad veterum Graecorum laudem proxime accedunt. Quin etiam Germania nostra hoc numerorum genere propemodum caret, quibus tamen aliquot oratores sacros, veluti Tschirnerum, feliciter usos esse videmus.*) Quid, quod ex ipsa Graecia Thrasymacho opponere licet quum in historia Herodotum, qui hisce numeris nisi quando fortuito et casu omnino abstinuit tum ex oratoribus virum laude nostra majorem, Lysiam. Hic enim ut Gorgiae figuras, quibus sane utitur, haudquaquam frequentat, ita numeros ipsos tam

---

*) Non habeo, quem in sublimi genere Tzschirnero nostro anteponam. Sed in molli ac prope delicato orationis genere Salomonis Gesneri idyllia excellunt. Nam etsi prosa oratione scripta sunt, tamen non solum imaginibus abundant poëticis, verum etiam membris (κώλοις) et numeris (ῥυθμοῖς) constant, quae ad metrorum similitudinem proxime accedunt.

raros inseruit tamque latentes, ut nisi qui eorum doctrinae peritissimus fuerit, pateant nemini. Et quum Thrasymachus inventor aurium maxime voluptatem sectatus sit, nihil neque dulcius Herodoto cogitari potest neque Lysia venustius. Manet igitur Thrasymachi inventum in suo genere fuisse maximum, necessarium non fuisse. Porro dubitanti, quales hi numeri et utrum sint poëtici an ex alio genere quodam, Cicero in Oratore c. 56 respondet poëticos esse: neque enim numerum extra poëticos alium ullum exstare. Enimvero tenendum est, numeros plerosque omnes, id quod de Thrasymacho infra demonstrabo, in orationem e lyrica potissimum poësi primum translatos esse. Nec dubito, quin et novitas rei et (uti tum videbatur) magna perversitas multorum animos offenderit. Graecos tamen hujus offensionis auctores adhuc desidero: de latinis enim Ciceronem in Oratore c. 54 loqui arbitror. Sed Thrasymachi defensores etiam cupide disputasse videntur neque falsis ineptisque argumentis abstinuisse, si tamen quidam jam tum dixerunt, lyricorum carmina partim solutae orationi esse simillima. Ita enim est apud Dionysium Hal. De Comp. Verb. c. 26 p. 430 ed. Sch. itemque ap. Ciceronem in Oratore c. 55, Ciceronis sui vestigia (ut puto) legente Quintiliano IX, 4, 53 in verbis corruptis, quae Halmius meus (P. II p. 180) in aliam prorsus sententiam detorquet. At mirum est, quod quum Herodotus et caeteri vinctam orationem solvissent, Thrasymachus vixdum solvi coeptam rursum ausus est vincire. Ecce autem alia eaque gravior offensio: neque enim si poëtae orator finitimus est, idcirco vel Pindari dithyrambo vestiendus est vel Anacreontis poësi amatoria. Sed ne sic quidem inventor laude fraudandus est. Viderat enim prosae orationis leges etiamtum ignotas e poesis legibus jam notis repetendas esse, praesertim quum etiam in oratione (ut bene Cicero in Oratore c. 55) numerum quendam esse sensus ipse indicet. Nimirum docebat non rudem inscitamque pue-

rorum turbam, sed adolescentes ad novam doctrinam apte praeparatos. Hi enim quo melius jam lyricos rhythmos tum ex ipsis lyricis tum e melicis tragoediae cognitos habebant, hoc facilius eos poterant duce praesertim tali magistro ad orationem traducere. Et in omni hac re mox patebit sapienter egisse Thrasymachum neque quidquam magis cavisse, quam ne orationem cum poësi turpiter confunderet. Sed antequam numeros ipsos tractemus, pauca quaedam attingenda sunt, quae quum ad alias rhetoricae partes proprie referantur, tamen etiam cum numeris vinculo quodam cohaerent laxiore. Incipiam autem a Suida s. *Θρασύμαχος: Καλχηδόνιος σοφιστὴς τῆς ἐν Βιθυνίᾳ Καλχηδόνος, ὃς πρῶτος περίοδον καὶ κῶλον* [adde hic: *καὶ κόμμα*] *κατέδειξε καὶ τὸν νῦν τῆς ῥητορικῆς τρόπον εἰσηγήσατο* —. Quod justam constantemque rhetoricae formam primus instituisse dicitur, id ad numeros (de quibus apud Suidan tacetur) pertinere nequit, sed et ad has ipsas enuntiati conformationes et ad dicendi genus videtur revocandum esse. Nam hic rhetor quo magis orationem emendaret, enuntiationes in ambitus justos, in membra et incisa primus divisit. Tum haud dubie docuerat, quemadmodum tribus hisce partibus utendum esset. Qui ut de membris incisisque doctrinam paene absolverit, at primarium locum de periodis ipsis perficere totum non potuit. Immo hic Isocrati demum palma data est in genere saltem epidictico, ubi Ciceroni in Oratore c. 61 placet omnia dici Isocrateo Theopompeoque more, hoc est illo ambitu, ut tanquam in orbe inclusa currat oratio. Similia habet Dionysius De Isocrate c. 2, qui alio loco (De admir. vi Demosth. c. 4 fin.) orbis Isocratei non solum virtutes sed etiam vitia bene exsequitur. Verum enimvero haec nomina: *περίοδος, κῶλον, κόμμα* eorumque significationes Thrasymachus e lyrica poësi mutuatus est. In qua quid sit *κῶλον* quidve *κόμμα* sicut nemo ignorat, ita *περίοδος* quid sibi velit, viri docti (Christium in l. Metrik p. 108 haud

excipio) nondum satis scire videntur. Res ita se habet. Περίοδος et σύστημα significatione omnino nihil differunt. Ceterum περίοδος atticum vocabulum est, σύστημα hellenisticum, quod primus fortassis metricorum Hephaestio usurpat, etsi non abstinet altero. Quum enim rhetores, qui mature principatum quendam obtinebant, περίοδος nomen ,de ambitu solutae orationis' sibi soli vindicassent: rhythmica periodus, ut res tamen intelligi posset, alio nomine dici coepta est, σύστημα. Quod verissime ab nobis dictum esse quum caeteri loci argumento sint, in quibus v. περίοδος vim habet rhythmicam, tum plane liquet ex ea dictione, quae de rhythmis duplici modo componendis solemnis est: κατὰ στίχον ἢ κατὰ περίοδον. Nam de re prorsus eadem seriores ut Hephaestio ita potius loqui solent: κατὰ στίχον ἢ κατὰ σύστημα. Dico autem hic vulgarem periodum sive majorem, non alteram (minorem illam), pro qua tamen ipsa quoque alibi nomen ponitur σύστημα. Aliter visum est ,homini rei metricae male perito' (ut Hermannus in El. D. M. p. 577) Dionysio Hal., qui στροφήν potius idem quod περίοδον significasse credidit De Admir. Vi Demosth. c. 50: εἴτε κατὰ στίχον εἴτε κατὰ περίοδον, ἣν καλοῦσιν οἱ μουσικοὶ στροφήν, et mox iterum: ἐπὶ τῶν αὐτῶν στίχων ἢ περιόδων, ἃς ἀντιστρόφους ὀνομάζουσι. At quum strophae et ipsae κατὰ στίχον saepe componantur, sequitur hanc quae Dionysio in mentem venit: κατὰ στίχον ἢ κατὰ στροφήν oppositionem esse absurdam. Adde quod stropha systematica non unum sed plura systemata continentur. Quum igitur Thrasymachei circuitus breviores fuerint quam Isocratei: efficitur strophas tam longas fuisse, ut hoc nomine omnino uti non liceret. Contra systematum vel longiorum brevitas praeclare convenit periodo Thrasymachi, sive anapaestorum dimetrorum, sive aliorum apud Dindorfium in ,Metris scenicis' p. 14, p. 88, p. 163, p. 258, ut dochmiacorum et dactylicorum. Nempe qui σύστημα et

στροφή inter se differant, Hermannus in El. D. M. p. 666 bene demonstravit, etsi ab eodem quum ubique tum etiam illo loco περίοδοι male omissae sunt. Sed postquam rhythmorum notitia jam paene abolita ad pedes mere metricos res rediit, tum vero (ut bene Cicero in Oratore c. 66) dicebatur plena comprehensio (h. e. Isocratea demum) ex eo constare, quod quatuor instar sit hexametrorum. Atqui plurimae strophae aut aeque longae sunt aut etiam longiores. Ceterum fieri potuit, ut prima forma periodi ab lyricis peteretur: recte enim Aristoteles in Rhetor. III, 9 periodum similem esse judicat lyricorum antistrophis. Porro musici graeci saepe adhibebant ‚tempora inania‘ compluribus modis, ut e nominibus λεῖμμα, πρόσθεσις, σιωπή, χρόνοι σιωπῆς, χρόνοι κενοί adparet, quae a Boeckhio De Metris Pindari p. 74—77, Hermanno in Epit. D. M. p. 18 et p. 255 ed. sec., Christio in l. Metrik p. 36 aliisque explicata sunt. Hac quoque re, quae cum commate, colo et periodo necessario cohaeret, Thrasymachus usus esse videtur ad sententias earumque partes recte interpungendas. Quare non unum librari interductum sed plures notas certorum temporum introduxit. Nam ut olim ab lyricis poëtis, ita etiam a primis jam (ut videtur) rhetoribus aliud silentium unius temporis, aliud duorum, quaternorum aliud esse censebatur. Vide exempli causa ea, quae Nicanor aliique grammatici non jam ab ipsis poëtis sed ab rhetoribus demum acceperant, scholium Veneti prioris ad Jl. β', 132 de subdistinctione: — θετέον τὴν ἄνω δευτέραν στιγμήν, ἥτις ἕνα χρόνον δύναται σιωπῆς, ad Jl. β', 52: ἐπὶ τὸ ‚κήρυσσον‘ ἄνω πρώτη στιγμή, ἥτις δύο δύναται χρόνους σιωπῆς, ad Jl. β', 23: τελεία στιγμὴ κατὰ τὸ τέλος —. τέσσαρας δ' αὕτη χρόνους σιωπῆς δύναται. Accedo ad Gorgiae delicias, ad paria paribus adjuncta, extrema pari sono terminata et item contrariis relata contraria: quae quodammodo pro aliqua parte numerorum ipsorum haberi possunt. Nam multis saepe locis

Tullius recte judicat haec sua sponte, etiamsi id non agatur, cadere plerumque numerose. Tum in Oratore c. 52 bene scribit Gorgiam haec primum invenisse: loquitur enim et clamat historia. Sed ibidem c. 12 melioris soni causa nomina transposuit, quod in re adeo nota facere licitum erat. ‚Haec tractasse, inquit, Thrasymachum Calchedonium primum et Leontinum ferunt Gorgiam —.‘ Et haec quidem Gorgias omnia fere e poëtis, nec tamen e solis lyricis, verum etiam ex aliis (epicis puta et tragicis) repetierat. Sed loco postremo (c. 12) Thrasymachus quoque haec omnia tractasse dicitur. Quodsi ipsius Thrasymachi ex hoc genere locus nullus exstaret, contentos esse nos oporteret Tullii (ibid. c. 12) de Thrasymacho, Gorgia, Theodoro verbis his: ‚quorum satis arguta multa, sed ut modo primumque nascentia, minuta et versiculorum similia quaedam nimiumque depicta.‘ Ac profecto in loco longiore ap. Dionysium De admir. vi Demosth. c. 3, ut supra dictum est, nusquam Thrasymachum videmus *γοργιάζειν*. Ex quo sequitur non semper eum his festivitatibus usum esse, quibus alii, ut ipse Gorgias ut Agatho poëta paratragoedus nusquam poterant abstinere. Quis enim animi causa non legit Agathonis in Convivio Platonico inde a p. 194, E orationem, quae tota omnibus his ineptiis adeo referta est, ut in ea Gorgiam ipsissimum vivere dicas et spirare? Hic enim Agathonem juvat quum ubique doctas posuisse figuras, quae ad unam omnes numerosae sint, tum antithetis non vulgaribus sed eis solis uti, quae a Persio I, 85 ‚rasa‘ dicuntur. Cujus generis pleraque sunt etiam Isocratis, non omnia tamen, sicut hoc in Panegyr. p. 8, 4: *ὥσθ' οἷόν τ' εἶναι — τά τε παλαιὰ καινῶς διελθεῖν καὶ περὶ τῶν νεωστὶ γεγενημένων ἀρχαίως εἰπεῖν* hirsutum antitheton est minimeque ‚rasum‘. Vide vel Longinum De Sublim. 38 p. 60 ed. Jahn. Atque etiam in Aristophanis versu ap. Bekkerum (Anecd. p. 410, 15): *καὶ κατ' Ἀγάθων' ἀντίθετον*

ἐξευρημένον O. Jahnius ἐξυρημένον optime correxit. Alia multa Agathonis antitheta bene rasa ego ad Arist. Thesmoph. p. 591 collegi. Sed Thrasymachus alumnos non solum praeceptis instruere verum etiam exemplis adjuvare debebat. Itaque numerorum inventor ne has quidem figuras plane poterat negligere, quas plerumque sciret cadere numerose. Et in Thrasymachi oratione ap. Platonem De Republ. I p. 343, B quum reliqua alius generis sint, unus tamen inest locus, in quo mire γοργιάζει p. 344, A haec verba dico: πάντων δὲ ῥᾷστα μαθήσει, ἐὰν ἐπὶ τὴν τελεωτάτην ἀδικίαν ἔλθῃς, ἣ τὸν μὲν ἀδικήσαντα εὐδαιμονέστατον ποιεῖ, τοὺς δὲ ἀδικηθέντας καὶ ἀδικῆσαι οὐκ ἂν ἐθέλοντας ἀθλιωτάτους. ἔστι δὲ τοῦτο τυραννίς, ἣ οὐ κατὰ σμικρὸν τἀλλότρια καὶ λάθρᾳ καὶ βίᾳ ἀφαιρεῖται καὶ ἱερὰ καὶ ὅσια καὶ ἴδια καὶ δημόσια, ἀλλὰ ξυλλήβδην. Quamobrem sic censeo et hac in oratione Thrasymachi in adhibendis figuris moderationem et in Convivio Agathonis luxuriam a Platone pari felicitate expressam esse. Ipsis vero numeris ab se primum inventis, quibuscum Gorgiae inventio non confundenda est, idem est usus intemperantius, si tamen Cicero in Oratore c. 52 recte judicat 'Thrasymachi omnia nimis etiam exstare scripta numerose'. Ac primo ut sciamus, utrum ille inventor in oratione meris rhythmis an metris quibusdam usus sit, videndum est, quam vim habeat 'rhythmus poëticus': nam de 'metri' notione nulla controversia est. Rejectis igitur aliis opinionibus, quae in Bacchio p. 23 multae exstant, illam potius quae ibidem et alibi allata est Aristoxeni finitionem: ῥυθμός ἐστι τάξις χρόνων plurimi recte comprobarunt. Quum igitur multo latius pateat 'rhythmus' nec solum (ut metra) in verbis et in poësi sed etiam in arte musica in corporis motu aliisque insit: ideo 'metra' partes 'rhythmorum' Aristoteles in Poët. IV, 7, in Rhetor. III, 8, Aristides Quintil. D. M. p. 49 et alii complures esse voluerunt. Quodsi rhythmi meri primum adhibiti sunt, sic quoque verendum erat,

ne rhythmus in metrum oratio in poësin verba in versum pessime abirent. Itaque ei rhythmi quibus justum metrum contineretur longe fugiendi, nec nisi eae partes rhythmorum seligendae erant, quibus aut nullum metrum aut non plenum neque integrum effici posset. Adeo natura rei tulit, ut quum metra omnia tum rhythmos metro pares aut nimium similes inventor effugeret et certa tantum rhythmorum genera sectari posset. Quo facto et quae quaesita erat aurium voluptatem invenerat nec temere in ullius reprehensionem incurrebat. Quare rem sic putabat invertendam esse, ut jam in oratione rhythmi exiguae quaedam partes fierent metrorum. Ac profecto hanc ab illo viam initam esse Cicero in Oratore c. 12 docet, ubi Thrasymachum narrat ‚minuta et versiculorum similia quaedam' habuisse et mox clarius c. 13, ubi eum ait concisum fuisse ‚numeris minutis'. Tales tamque minutos numeros per se fundunt, ut his utamur, quaevis penthemimere, veluti praeter dochmiaca etiam iambica et dactylica. Ita quaecunque in numerorum expositione Dionysius Hal., Tullius et Quintilianus de metricis pedibus (quos ipsi solos probant) saepenumero afferunt, ea ad tempora pertinent seriora: contra sicubi eidem sine metro numeros eorumque tempora et intervalla explicant, antiquos auctores secuti ea tradunt, quae in Thrasymachi aetatem belle conveniant. Veluti dochmius huc referendus erit, quem Tullius in Oratore c. 64, dum semel ponatur, quovis loco aptum esse censet, Quintilianus autem IX, 4, 97 in clausulis ut stabilem et severum. Eodem spectat illud Aristotelis in Rhethor. III, 8 init.: *ῥυθμὸν δεῖ ἔχειν τὸν λόγον, μέτρον δὲ μή· ποίημα γὰρ ἔσται. ῥυθμὸν δὲ μὴ ἀκριβῶς· τοῦτο δὲ ἔσται, ἐὰν μέχρι του ᾖ.* Deinceps Aristoteles (a quo totus pendet Quintilianus IX, 4, 87) paeona, quod versum aut metrum nusquam faciat, probat maxime eumque a Thrasymacho dicit inventum esse. Quum autem hunc rhythmum

sciamus in lyrica maxime poësi fuisse frequentem: Aristoteles quodammodo testatur inventorem id egisse, ut ab lyricis sumta genera numerorum in orationem traduceret. Itaque Thrasymacho vix usquam accidisse videtur, ut in versum poëticum quasi in caecam foveam incideret. Et Tullius quidem (l. l. c. 52) in rhythmis neminem scientius versatum esse dicit Isocrate suo, cujus numeros inventore fuisse ‚molliores' (ibid. c. 13). Sciebat tamen (uti postea c. 56 ipse narrat) Hieronymum Rhodium ex Isocrati libris triginta versus elegisse: et aliquanto plures colligi ex Isocrate facili opera poterant. Recte enim Dionysius H. (De Isocrate c. 2): *περιόδῳ τε καὶ κύκλῳ περιλαμβάνειν τὰ νοήματα πειρᾶται ῥυθμοειδεῖ πάνυ καὶ οὐ πολὺ ἀπέχοντι τοῦ ποιητικοῦ μέτρου.* Hinc semper existimavi ab Aristotele in Rhetor. III, 8, ubi usum numeri oratorii arctis finibus circumscribit, multo minus Thrasymachum quam eum esse petitum, cui ubique infensus est, Isocratem. Postquam enim dixit rhythmos heroicum, iambicum, trochaicum pedestri orationi parum convenire, de iisdem ita perrexit: *οἱ μὲν οὖν ἄλλοι διά τε τὰ εἰρημένα ἀφετέοι, καὶ διότι μετρικοί* tumque alia addidit in eandem sententiam. Cadit autem hoc crimen in Isocratem orbis praelongi venatorem, cui invito versus iambici aliique toties exciderunt: in Thrasymachum vero vix cadere videtur. Hic enim quum cola ponebat crebra et rariores ambitus, tum e lyricis non metra sed numeros adsumebat, ut hos:

–́ ⏑⏑ – ⏑⏑ –
et ⏑ –́ ⏑ – ⏒
et –́ ⏑ – ⏑ –.

Adeo oratorii numeri inventor cum Sophrone mimorum poëta comparari potest, qui et ipse prosam orationem colis inclusit rhythmicis, ut bene G. Hermannus ad Aristot. De Poët. p. 93 et O. Jahnius Praef. ad Persium p. LX. Quae quum ita sint, Isocrati correctori, cujus

ego numeris parum delector, Platonem et Demosthenem, qui in hac re sequi Thrasymachum solebant, longe censeo anteponendos esse. Nam ex horum oratione quamlibet numerosa si quis XXX versus eruere conetur, frustra sat scio laborabit. Optime enim Demosthenem cavisse, ne numeri ejus ad metra temere aberrarent, Dionysius Hal. quum alibi tum De admir. vi Demosth. c. 50 observavit. Sed nondum ab Aristotele in Rhetor. III, 8 discedere possum. Quo in loco haec verba: *λείπεται δὲ παιάν, ᾧ ἐχρῶντο μὲν ἀπὸ Θρασυμάχου ἀρξάμενοι, οὐκ εἶχον δὲ λέγειν τίς ἦν* non carent vitio. Nam scholium ultimis *οὐκ — τίς ἦν* primo additum, moxque post *μέν* male insertum ita ut codd. quidam exhibent: *ἐχρῶντο μὲν ὡς ἐν ἀπορρήτῳ ἀπὸ* —, hoc igitur scholium (id quod saepe accidit) post *μέν* falso vocem expulit genuinam. Aristoteles enim quemadmodum sententia aperte poscit, ita potius scripserat: *λ. δ. π., ᾧ ἐχρῶντο μὲν πάντες ἀπὸ Θρασυμάχου ἀρξάμενοι* —. Ac ne quis dubitet, Cicero in Aristotelis codice quo tum utebatur hic *ᾧ ἐχρῶντο μὲν πάντες* adhuc legerat ut animadvertisse mihi videor ex Oratore c. 57 § 193: ‚Ita paeana probat (Aristoteles) eoque ait uti omnes, sed —'. Sic in Aesch. Agam. v. 110 glossema *δίκας*, ut est in codd. omnibus, duo verba ipsius Aeschyli expulit: *καὶ χερὶ* (servata illa ab Arist. in Ran. v. 1289): et ita sexcenties. De numero autem paeonico sic habendum est. Ad hoc genus praeter paeones et creticos etiam palimbacchium – ⏑́ ⏑ (in prosa sola usitatum, ut bene Rufinus in Rhet. Minor. p. 580 ed. H.), bacchium ⏑ ⏑́ – et dochmium ⏑ ⏑́ ⏑́ ⏑ – veteres referebant. Haec tamen dissensio, quae inter Thrasymachi sectatores et Aristotelem fuit, ad unum pedem spectat creticum. Hunc Aristoteles a paeone utroque pluribus de causis omnino vult segregatum. Principio enim, ut ego olim ad Arist. Thesmoph. p. 628 recte observavi, bini ictus pedi cretico, paeonibus autem veris singuli ubique imponuntur:

–́ ⏑ –́ | –́ ⏑ –́ ‖ –́ ⏑ –́ | –́ ⏑ –

et contra

–́ ⏑ ⏑ ⏑ –́ ⏑ ⏑ ⏑ | –́ ⏑ ⏑ ⏑ –́ ⏑ ⏑ ⏑

vel

⏑ ⏑ ⏑ –́ ⏑ ⏑ ⏑ –́ | ⏑ ⏑ ⏑ –́ ⏑ ⏑ ⏑ –.

Tum optime Aristoteles l. l. metri genus esse paeonem negat nec quidquam aliud esse defendit nisi certum quendam numerum. Contra cretici non pro mero numero sed metri loco habendi sunt. Nam pes creticus, etsi in dipodiam trochaicam catalecticam postea abiit, primitus tamen ab hac ipsa dipodia omnino nihil differebat, sed trochaicus dimeter quam vim habet:

–́ ⏑ –́ ⏑ –́ ⏑ –́ ⏑

prorsus eandem nascens habuerat dimeter creticus

–́ ⏑ –́, –́ ⏑ –́,

cum brevis syllabae post creticum silentio. Quod nuper nos docuit Heliodorus ap. schol. ad Hephaest. p. 77 Gaisf. ed. sec: *Ἡλιόδωρος φησὶ κοσμίαν εἶναι τῶν παιωνικῶν τὴν κατὰ πόδα τομήν, ὅπως ἡ ἀνάπαυσις διδοῦσα χρόνον ἑξασήμους τὰς βάσεις ποιῇ καὶ ἰσομερεῖς ὡς τὰς ἄλλας· οἷον ‚Οὐδὲ τῷ Κνακάλῳ οὐδὲ τῷ Νυρσύλα‘* (Alcmanis versus est, ut bene Bergkius in Lyr. Gr. P. III p. 840 ed. tert.). Quo factum est, ut cretici initio caesuram haberent post pedes singulos, quemadmodum (sicut optime Seidler De VV. Dochm. p. XX et p. 137) bacchii singuli plerumque una cum verbo terminantur. Quum igitur Aristoteles illo ipso loco trochaeum ut nimis volubilem similemque cordaci in oratione exploserit, non poterat quin ab cretico i. e. a pede item trochaico procul abhorreret. Videtur autem ille quoque, uti Cicero in Oratore c. 64, Quintilianus IX, 4 § 79 et alii creticum etiam ideo quod postea tres tantum syllabas habebat, justi metri, et paeonem quod plures habebat, numeri loco non metrici pedis duxisse. Denique Aristoteli ea favent, quae ego ad Arist. Ran. v. 849 de hyporchematis exposui. Haec enim testibus Athenaeo V p. 181, b et Sosibio ap. schol. Pindar. ad

Pyth. II, 127 invenerant Cretenses, et uti idem apud scholiastam, Thaletas Cretensis versibus utens creticis. Illo primum tempore cretici in justos numeros mutati non sine saltatione etiam canebantur. Itaque antiquiora *ὑπορχήματα* fuerunt quam *παιᾶνες* et priores etiam cretici pedes quam veri paeones, qui immutata numeri natura ex illis demum enati sunt. Confer Hom. Hymn. Apoll. v. 518. Sed saltatio ista et ipsa carmina cujusmodi fuerint, vel ex eo patet, quod *ῥυθμοὶ ὑπορχηματικοί* in oratione reprehendi solebant (Dionys. H. De admir. vi Dem. c. 43) et multo certius ex Athenaeo XIV p. 630, e: *ἡ δ' ὑπορχηματικὴ τῇ κωμικῇ οἰκειοῦται, ἥτις καλεῖται κόρδαξ.* Ut enim trochaici tetrametri primum nascentis et adhuc ludibundae tragoediae (Aristot. De A. Poët. IV, 17) ab eodem in Rhet. III, 8 *κορδακικώτεροι* jure dicuntur: ita etiam hyporchemata cum cordacis simili saltatione erant conjuncta. Ergo ut duo carminum genera, *ὑπορχήματα* et *παιᾶνες* toto coelo distare videntur, ita creticos numeros a paeonibus credas longe secernendos esse. Quae omnia tametsi multum valent, tamen sunt etiam, quibus non Aristotelis sententia sed Thrasymachi defendi possit. Quum enim in Rhetor. III, 8 haec legantur: *οὐκ εἶχον δὲ λέγειν, τίς ἦν* (sc. *ὁ παιάν*), Thrasymachum in oratione liquet non tantum paeonicos pedes sed etiam vere creticos agnovisse. Hi autem temporis decursu sensim plus dignitatis consecuti sunt. Nam in tragoedia quoque et apud ipsum Aeschylum carmina e creticis composita non semel leguntur. In quibus pro cretico vulgari –́ ⏑ –́ etiam solutiones reperiuntur, nusquam tamen paeones –́ ⏑ ⏑ ⏑ vel ⏑ ⏑ ⏑ –́ sed tantum cretici soluti ⏑́ ⏑ ⏑́ ⏑ vel ⏑́ ⏑ ⏑ –́. Omnino autem in oratione numeri et pedes metrici non ut Aristoteles hic agit quadam aurificis statera sed uti Thrasymachus, populari trutina ponderandi sunt. Neque enim orator si creticos pedes libenter adscivit, ideo putandus est saltasse cordacem. Quod autem ad usum paeonis

utriusque attinet, Thrasymachus et caeteri primo paeone ab initio sententiae uti solebant probante ipso Aristotele. Cujus rei quum multa adferri exempla possint, rhetores (ut Dionysius De Comp. V. p. 242 et iterum p. 396 ed. Sch., ut Quintilianus IX, 4 § 63) certatim utuntur Demosthenico Pro Ctesiphonte init.: *τοῖς θεοῖς* | *εὔχομαι* | *πᾶσι καὶ* | *πάσαις*. Cf. Aeschyl. Suppl. 403 sqq. At in fine sententiae quartum paeonem ⏑ ⏑ ⏑ –́ philosophus conlocari jubet neque id negat ab se primo excogitatum esse. Et qui hacce clausula usus sit, oratorem atticum reperire nullum potui. Sed in lyricorum paeanibus eam necesse est haud infrequentem fuisse. Atque ipse, ne nihil dicas Aristotelem secutum esse, unum hujus generis versum lyricum protulit. Tum in tragoediae melicis non est ille quidem invisitatus, perraro tamen legitur ut in Eumenidibus. Probe autem teneamus Aristotelem de ipso paeone quarto ⏑ ⏑ ⏑ –́ loqui apertissime. Abs quo justi cretici solutio haec ⏑́ ⏑ ⏑ –́ longe abhorret, quam in fine trimetri et tragici et comici ejusque tum graeci tum latini usitatam esse constat. Ac de hoc graecorum poëtarum usu Seidler (De VV. Dochm. p. 380 sqq.) praeclare disseruit. Eadem latini senarii ratio est, ut quaevis Plauti comoedia docet itemque Terenti, ut in Andr. Prol. v. 6, ibid. v. 25, et I, 1, 17; I, 1, 30; I, 1 v. 90, v. 96, v. 113, II, 6, 6, Eunuch. II, 3, 49, Hecyr. Prol. II, 26 caet. Qui poëtarum usus tam constans est, ut inde sequatur Aristophanem Byz. ejusque pedisequos grammaticos latinos de accentu errasse, quem ultra tertiam a fine syllabam rejici vetuerant. At Graeci non aliter nisi sic pronuntiabant: *ἄναμενει, βάσιλεων, ἄπολεσας, δίολεσω, κάταβαλειν, κάταγελαν, πάρακαλεις, πέριβολαι* et sic porro. Nec vero Romani, de quibus jam Hermannus in El. D. M. p. 64 recte judicavit, alio nisi hoc uno modo: múlieres, témeritas, rédiero, tétigeris, céciderit caet. Haec hactenus de Rhetor. III, 8 loco gravissimo, qui multos ipsumque in El. D. M. p. 193 sq. Hermannum in errores induxit,

alios autem ut Christium in l. Metrik p. 81, p. 114, p. 423 sqq. mirifice vexavit. Ceterum Hermannus metricae artis restitutor semper paeonicos versus a creticis optime discrevit: recentes autem rhythmici hic quoque id agunt, ut utrisque rursum confusis omnia misceantur. Sed quum Thrasymachus paeonicum numerum ab se inventum mox plurimis et ipsi partim Aristoteli probasset: rhetorum animos hoc paeone adeo implevit, ut eum quasi necessarium in oratione et paene sacrosanctum adorare viderentur. Ita (Demetrius) homo caeteroqui prudens neque indoctus de paeonis tamen usu multa scripsit inficeto (De Elocut. c. 38—41 fin.). Contra Aristoteles etsi nullum in oratione nisi paeonicum numerum probavit: tamen ne in hujus quidem numeri laudem effusus est, quem orienti tantum et cadenti sententiae aptum esse judicat (Rhetor. III, 8). Falsum est igitur, quod Cicero in Oratore c. 64 scribit: ‚est quidem, ut inter omnes constat antiquos, Aristotelem Theophrastum Theodectem Ephorum (paean) unus aptissumus orationi vel orienti vel mediae; putant illi etiam cadenti —‘ nec solum de Aristotele falsum additamentum est ‚vel mediae‘, sed etiam de Theophrasto et Theodecte. Et hoc quidem ex ipso Cicerone l. l. c. 57 § 194 intellexisse videor: ‚atque haec, inquit, quae sunt apud Aristotelem, eadem a Theophrasto Theodecteque de paeane dicuntur‘. Reliquum est, ut aut Tullius memoriae errore illud ‚vel mediae‘ falso addiderit, aut ex uno id sumserit Ephoro, qui sane (ut paulo ante c. 57 § 191 dictum est) ‚paeana secutus est aut dactylum‘. Denique fuerunt, qui paeonicum numerum omnino reprobarent eumque prae iambico et aliis contemnerent indignante Tullio c. 57 § 192: ‚qui paeana, inquit, praetereunt, non vident mollissumum a sese numerum eundemque amplissumum praeteriri‘. Deinde in clausulis et graeci oratores magno studio elaborare solebant et latini multo etiam majore. Et hae quidem tanquam domo ex omnibus fere poëtis

repeti solebant. Vix enim ullum est metri antiqui genus, in quo non plurimum valeat catalexis. Hic tamen (quod ad rhetoras attinet) Thrasymachi mentio nulla usquam injecta est. Itaque quae de clausulis orationum dici possunt, omnia in aliud tempus malo differre. Ceterum de clausulis haud pauca quum aliunde tum ex Platone collegi, cujus ego numeros in certis potissimum dialogis (velut in Convivio et in Menexeno) omnino admiror. Est in Convivio p. 180, D locus egregius, in quo Taurus apud Gellium XVII, 20 orationem brevibus et rotundis numeris devinctam praedicat, quem locum A. Gellius ibidem scite modulateque composuit ore latino. Deinde aptos numeros non solum in Demosthene et caeteris oratoribus, sed etiam in ipsorum poëtarum locis indagare studui. Sic mihi quidem numerosa esse videntur pleraque, quae in comoediis graecis quasi soluta plane oratio metro carent, inprimis Arist. Avv. 1040 (quae Brunckius et ipse Bentlejus pro versibus male habuerunt) et ejusdem verba personae ibid. v. 1050, tum sacerdotis preces et in Avv. 865—887 et in Thesmoph. v. 295—311. Quanquam nonnulla in his locis manifesto vel defecta sunt vel corrupta. Ut enim nunc est, rhythmis fortasse carent verba novae personae in Avv. 1046: καλοῦμαι — μιῆνα. Porro quod ad tempora pertinet, Cicero in Oratore c. 51 tradit in Graecis quidem jam annos prope quadringentos esse, cum numerus oratorius probetur; Romanos autem nuper demum agnovisse. Quot ille ab inventore ad suam aetatem dinumerat, totidem annos fac addas a Cicerone usque ad Libanium. Habebis annos octingentos, ut supra diximus, quibus numeri a Thrasymacho reperti apud Graecos floruerint. Neque intra tam longum spatium numerorum cura unquam intermissa est, etsi alium alias et eum saepe minus prosperum habuit successum. Prae caeteris explosi sunt, partim tamen etiam laudati rhetores Asiani. Hi ditrochaeo terminare clausulas solebant, in

quo si modum tenuissent, non essent deridendi. At isti numerorum causa verba inculcabant prorsus inania. Recte Thoon in Progymnasm. (I p. 169 ed. Walz.) fugiendam esse docet τὴν ἔμμετρον καὶ ἔνρυθμον λέξιν, ὡς τὰ πολλὰ τῶν Ἡγησίου —. Ita Hegesias oppositus erat Thrasymacho, cui similis videri poterat infringendis concidendisque numeris et toto genere versiculorum simillimo (Cic. in Oratore c. 69). Sed intolerabiles fuisse numeros Hegesiae Dionysius De Comp. Verb. p. 250 ed. Sch. exemplo ostendit luculento. Tum pronuntiatio quoque Asiaticorum cum pravo eorum numero cohaeret. Canere enim et inclinata voce ululantique canere solebant, quam perversitatem Tullius in Oratore c. 8, Quintilianus XI, 3, 57 et omnium lepidissime Lucianus in Rhet. Praec. c. 19 exagitarunt. Quanquam natura, ut recte Cicero alicubi, inest in oratione res per se non reprehendenda, cantus quidam obscurior. Hinc Philostratus in Vit. Soph. p. 589 in Adriano sophista laudavit τοὺς πεζῇ τε καὶ ξὺν ᾠδῇ ῥυθμούς. At Hegesias non minus sententiis peccabat quam verbis, ut eum Cicero in Oratore c. 67 summo jure appellaverit ineptum. Quod ad eos rhetoras sive sophistas attinet, qui sub imperatoribus viguerunt, ex tanto eorum numero dolemus hodie tam paucos superesse. Ceterum ab iis quoque qui interciderunt, numerorum rationem videre adhuc possumus minime neglectam fuisse. Ita Philostratus in Vitis Sophistarum p. 589 Adriani rhythmos fuisse tradit admirabiles, itemque p. 573 tum Alexandri tum Herodis Attici numeros eximie praedicat, Apollonii autem p. 601 sq. plerosque reprehendit tanquam ἐμμέτρους τε καὶ ἀκολάστους, paucos laudare ausus utpote ῥυθμοὺς σωφρονεστέρους. Et numeri eorum quoque, qui aetatem tulerunt, simili modo inter se videntur differre. Velut Maximi Tyrii rhythmos mediocres tantum esse judico, praeclaros vero Dionis Chrysostomi. Neque ita multo post sub Marco Antonino nobile par sophistarum floruit, Aelius Aristides,

de quo alius nobis erit dicendi locus et Lucianus Samosatensis. Et hujus quidem numeros Photius in Bibliotheca cod. 128 magnis laudibus extulit, qui atticismo Luciani egregie commendato ita pergit: *συνθήκη τε αὐτῷ οὕτως ἥρμοσται, ὥστε δοκεῖν τὸν ἀναγινώσκοντα μὴ λόγους λέγειν, ἀλλὰ μέλος τι τερπνὸν χωρὶς ἐμφανοῦς ᾠδῆς τοῖς ὠσὶν ἐναποστάζειν τῶν ἀκροατῶν.* *) Cur autem de hoc argumento in universum nunc scriberemus, haec nobis causa fuit vel praecipua, quod vehementer optandum est, ut numeri orationis solutae melius quam adhuc contigit et multo certius indagentur. Nam ut omnes ordine editores oculis perlustrentur, de plurimorum numeris oratorum apud eos altum silentium est. De ipso vero Isocrate, cui tandem bono est nihil fere aliud nisi hoc scire hiatuum osorem ingentem fuisse et numeri cujuslibet amatorem mirificum? Ante omnia autem de numeris oratorum seorsim nec sine magna cura disserendum est, ut de Demosthenis numeris alius libellus, alius de Platonicis, de Isocrateis rursum alius, de singulis denique singuli quam primum componantur. Quis enim neget doctas et subtiles hujusmodi scriptiones magno usui futuras esse? Has ipsas vero in edendo Luciano, ubi ad rem dubiam ventum esset, saepe desideravi, qui scirem scriptores atticos mutuo sibi invicem esse auxilio. Quin etiam in critica arte numeri magnum faciunt momentum, praesertim si de collocatione verborum dubitatur. Etenim ut lex logica et usus scriptoris plurimum valent, ita numerorum quoque quum in aliis tum in Luciano ratio semper ducenda est. Nunc quoniam de graecis scriptoribus satis dictum videtur, de latinis quoque nonnihil addendum est. Incipiam autem ab re gravissima, quae et latinos omnes, qui quidem numerose scripserint et graecorum auctorum partem aliquam com-

---

*) [Quo melius haec intelligi possint, exempli causa ‚Cataplum' dialogum infra sum additurus. Ex Addendis.]

plectitur. Quod supra dixi numerorum inventum $\overline{\text{DCCC}}$ circiter annis permansisse, brevitati serviendum erat: res enim ita se habet. Rhythmorum notitia ipsorum, quos Thrasymachus videtur solos adhibuisse, duobus aut tribus post inventorem saeculis obscurata cito evanuit: quorum in locum metrici pedes succedere coeperunt. Sed quoniam numeri et metra in unum plerumque locum conveniunt: illi quoque oratores, qui metra tantum non item numeros tenebant, recte censeri possunt alio quodam modo in rem suam Thrasymachi inventum convertisse. In hunc censum jam graeci aliquot rhetores veniunt ut Dionysius Halicarnasseus, qui ubicunque Demosthenis et aliorum numeros solvere conatur, ipse constanter in metra dissolvit idque data opera ab se fieri profitetur De Compos. Verb. p. 218 Sch.: *πᾶν ὄνομα καὶ ῥῆμα — ἐν ῥυθμῷ τινι λέγεται· τὸ δ' αὐτὸ καλῶ πόδα καὶ ῥυθμόν.* Latini vero scriptores, ut Cicero, ut Quintilianus quamvis crebro sicut Graeci *ῥυθμούς* ita ipsi ‚numeros' commemorent et eo nomine se soleant jactare: nihil tamen aliud dicunt nisi pedes metricos.*) Quorum mensura quum longe certior sit quam numerorum: necesse est sic quoque orationem manere numerosam. Nam (ut bene Cicero l. l. c. 53) aures naturalem quandam in se continent vocum omnium mensionem. Quod ad fontes graecos pertinet, Ciceroni in ‚Oratore', ut Quintilianus IX, 4, 79 testatus est, ‚eminentissimi Graecorum', et ut O. Jahnius (Proleg. p. 22 ed. tert.) conjecit, cum Aristotele Theophrastus duces fuerunt praecipui. Tum Quintilianus, qui Ciceronis duces certo noverat, etsi accedit in plerisque Ciceroni, tamen non tantum sub-

*) Graeci vocem *ἀριθμός* et de veris rhythmis ponunt ut Aristoteles in Rhetor. III, 9: *ἀριθμὸν ἔχει ἡ ἐν περιόδοις λέξις,* et de metris, ut idem ibidem paulo post: *ἀριθμὸν ἔχει τὰ μέτρα, ᾧ μετρεῖται.* At latina vox ‚numerus' ad metricos tantum pedes refertur tam poëtarum (ut quum Plauti ‚numeros innumeros' dici videmus) tum etiam oratorum.

inde dissentit, sed etiam de ipsis numeris multa addit ab Tullio omissa. Hinc efficeret alios Quintiliano fuisse auctores; at si tamen Theophrastum Cicero inprimis expressit, ipse potius vel Theodectem vel Ephorum vel Naucratem sit secutus. Tantum tamen abest ut illi verbum de verbo reddiderint, ut suo uterque judicio utatur multaque ipse adjiciat et maxime Tullius, qui c. 67: plura, inquit, de numerosa oratione diximus quam quisquam ante nos. Nunc primum de vitiis Ciceronis ejusque pedisequi exponere placet, deinde de utriusque virtutibus. Unum modo errorem, sed eum maximum O. Jahnius in Proleg. p. 23 Ciceroni imputat, quod natura rhythmi, unde proficiscendum fuerit, parum sit inlustrata. Nec sane quae c. 53 sqq. ea de re leguntur, possunt satisfacere culpa etiam librariorum. Etenim c. 56 quum caeteros tum Jahnium gravis menda in his effugit: quodsi et angusta quaedam atque concisa et alia est dilatata et fusa oratio, necesse est id non literarum accidere natura, sed intervallorum longorum et brevium varietate: quibus implicata atque permixta oratio quoniam tum stabilis est tum volubilis, necesse est ejusmodi naturam numeris contineri'. Tu fac suppleas corrigasque in hunc modum: necesse est ejusmodi [varietatem] natura numeri contineri. Adhuc enim illo loco Tullius versatur in explicanda numeri natura. At sic quoque ego me haud diffiteor, quidnam sit ‚natura numeri' non ex hoc potius Ciceronis loco quam ab G. Hermanno metricorum principe primum recte didicisse. Equidem alia vitia adferam, in quae scriptores ab Graecia nimium suspensi facile poterant incidere. Primum enim et Cicero et Quintilianus ubique sic agunt, quasi ea praecepta, quae solis Graecis Graeci dederant, omnia fere data fuerint etiam Romanis. At quum in numeris et in metris brevitas syllabarum et longitudo momentum faciant, ab altera lingua alteram plurimum videmus distare, graecam brevibus abundare syllabis, longis

autem latinam. Ut exemplo utar, unum numerum in Graecia florentem, Latio tamen ob tot syllabas breves tam raro concessum, paeonicum dico multo melius mihi videntur omissuri fuisse. Nunc illi toties commemorant atque adeo laudant hunc ipsum numerum, ut credidisse videantur Aristotelem quasi vatem paeones Romanis quoque commendatos voluisse. Deinde id quod apud Aristotelem in Rhetor. III, 8 luce clarius est, antiqui rhetores in oratione solos fere curabant numeros, contra Tullius et Fabius metricos tantum pedes metiebantur. Ita Theophrastus sive alius, cujus verba Cicero in Oratore c. 57 fecit latina, Ephorum jure castigat, quod syllabis metiendos pedes quasi metricos parum constanter existimarit, non utpote numeros temporibus et intervallis distinguendos esse. Ergo quod Cicero ibidem censet ,omnes in oratione esse quasi permixtos et confusos pedes' hoc dicit (quod per se verum est), vix ullam orationem esse, in qua non omne genus pedum metricorum reperiatur. At ille hanc ipsam rem iis, quibus profecto idem visum erat, Aristoteli, Theophrasto Theodectique nimium male opponit. Hi singulos fere in oratione numeros probaverant, Aristoteles paeonicum, quidam iambicum et alii alium, Ephorus autem binos, cum paeane dactylicum. Quos Cicero si tamen refutare voluit, non potuit quin hoc diceret, numeros omnes una in oratione permiscendos esse et confundendos: quo nihil est absurdius. Quis enim non omnibus sibilis oratorem explodat, qui sublimes numeros Pindari cum levibus dramatis satyrici et hilares Aristophanis cum severis Aeschyli copulare coeperit? Quae quum ita sint, Quintiliani inscitia IX, 4, 87 non ferenda est, qui Thrasymachum, Aristotelem, Theophrastum, Theodectem et Ephorum miratur in hac opinione fuisse, ut in oratione alios pedes metricos eligerent aliosque damnarent. Quos enim pedes isti temere damnarunt, hi ,irrumpent, inquit, etiam ad invitos, nec semper illis

[illegible] Quintilianus IX. 4. 1 [illegible] de compositione. Scripsit autem haec tam subtiliter namque accurate quam lectorum gratia rei ipsius magnitudine adductus, tum etiam sui defendendi causa ab Calvo, Bruto ipso et aliis lacessitus. Hi enim Tullium solutum et enervem, item fractum atque elumbem esse loquebantur, semet ipsos vero atticos et uni Lysiae similes dici haberique cupiebant. Iidem vero adversarii, ut est apud Tullium l. l. c. 54, numeris in oratione utendum esse omnino negabant. Nempe isti non Tullio bellum indixerant, sed periodum Tullianam, insigne decus eloquentiae latinae evertere conabantur. De qua re ne quis dubitet, numerus oratorius cum periodo tam arcte cohaeret, ut ab altero alterum divelli nisi cum utriusque pernicie non possit. Nam ambo et uno tempore ab Graecis primum inventa, et sicut Aristoteles in Rhetor. III. 9 demonstravit, naturali inter se vinculo juncta planeque concreta, et ab eodem Isocrate una ambo perfecta sunt. Hic autem, ut bene Tullius l. l. c. 61, ea circumscriptione utitur, ut tanquam in orbe inclusa currat oratio, quoad in singulis sententiis absolutis insistat. Post Ciceronem vero labente paullatim eloquentia latina primo numeri vis depravari coepta est, deinde ars periodi magis magisque corrupta, postremo periodo una cum numero sublata ambo funditus interierunt. Tum vero omnes ad nascentis orationis rude initium revoluti erant. Quorum alii eique saniores (Aristotelis in Rhetor. III, 9 fortasse memores) ad Herodoteum dicendi genus refugiebant, quo Graeci quoque primum omnes usi fuerant: alii ut apud Graecos Asiani

atticae linguae corruptores, sic isti incisim membratimque loquebantur. Quo facto hi meliore se loco quam illos sperabant futuros esse, quorum sermo saepe tam incertus vagabatur, ut ne finem quidem invenire posset. Hinc neque interspiratione in mediis sententiis abstinebant, neque in ipso fine debiles voculas, ut ‚ei, eam, eum, eas, eos' ponere dubitabant, id quod in Plinio majore, in Justino et interdum Suetonio animadvertere licet. Longe aliter vero Aristoteli in Rhetor. III, 8 et Ciceroni in Oratore c. 68 visum erat, quibus plane adsentior. Numerum enim in periodi compositione adhibere necesse est, non solum quod multo majorem habent apta vim quam soluta, verum etiam ne infinite feratur ut flumen oratio, quae non aut spiritu aut interpunctione sed sententia et numero coacta insistere debet.

Epimetrum.

His scriptis forte *) incidi in C. F. Hermanni ‚disputationem de Thrasymacho sophista‘ (Gottingae, a. 1848), quam unam carus ille amicus ad me mittere oblitus est, quum caeteras vel Marburgi vel Gottingae ab se editas semper misisset. Ita quum lectorum commodo tum ipsius viri memoriae hoc deberi arbitror, ut de Hermanni mei conjecturis velut corollarii loco aliquid adjiciam. Ostendit igitur (p. 3 et 4) de inventore nostro neminem iniquius judicasse Platone in primo maxime libro de republica, in quo Thrasymachus cum doctrina solis sophistis digna juris contemtionem, morum asperitatem, petulantiam, contumaciam, denique impudentiam conjunxisse dicitur hisce in locis: p. 336, B (bis), p. 337, A, p. 337, D, p. 338, A, p. 343, A, p. 344, D, p. 350, D, p. 350, E, p. 352, B, p. 354, A; confer V p. 450, B. Tum (p. 13 sqq.) quaerit, quomodo fieri potuerit, ut unus fere Plato virum sempiterna laude florentem tam indigno modo describeret eique infamiae notam quasi improbo sophistae inustam vellet. Respondet autem de moribus Thrasymachi nihil fere praeterea constare ideoque fieri saltem potuisse, ut ‚ob insignem quandam morum foeditatem‘ infamia flagraret.

*) [Quod me ‚forte‘ dixi incidisse, A. Weidner censor meus miratur, sed ut e praefatione mea ipse intelliget, miratur inepte. Ex Addendis.]

Illud vero non male addit, omnes sophistas in Platonis odium ob pravam morum doctrinam et verae philosophiae inscitiam incurrisse, neque alium tummaxime sophistam Athenis praesto fuisse, cui talis morum perversitas nisi inepte tribui potuerit. Deinceps Thrasymachum in illis apud Platonem placitis communi saeculi morbo dicit laborasse, quod Graeci tum juris ignari non suum cuique tribuere sed suo quisque lucro prospicere soliti sint. Jam Thrasymachum Platonicum conjicit adhuc juvenem necdum rhetorem sed merum fuisse sophistam eumque virum factum potuisse resipiscere. Deinde et hic p. 14 Hermannus et antea in l. ‚Gesch. d. platon. Philos. T. I p. 537 sqq.‘ subtili judicio censet primum de republica librum longo ante reliquos tempore separatim conscriptum et seorsim primo editum esse favente A. Gellio N. A. XIV, 3, qui ‚duo fere libros de republica primos in vulgus exiisse‘ liquido testatus est. Ex quo id certe sequitur, spissum Platonis de republica opus primo non totum simul evulgatum esse. Quae tametsi bene disputata sunt eoque melius, quod Platonem Thrasymachi adversarium a praeconcepta opinione partiumque studio liberum fuisse negavit: primariam tamen rem ab Hermanno plane videmus neglectam esse, personam dico Socratis. Hoc enim patet, non Hermanno nos potius quam Gellio adsentiri, quod cum primo etiam secundus liber vel ob Glauconis orationem una edendus erat. Socrati vero nihil plus Athenis nocuit, quam quod pariter atque sophistae magnam dialecticis operam impendit eoque ab vulgo veritatis ignaro ipse quoque in numero habitus est sophistarum. Verum Platonicus Socrates cum Aristophaneo in Nubibus componi debebat, qui illi contrarius et similis est Thrasymacho, suppar denique Protagorae. Nam apud Aristophanem id agit Socrates rhetor, ut infirmior causa fiat potior (v. 114 sqq. et v. 882), injustitiam usque eo laudat, ut in secundis Nubibus *Ἄδικος Λόγος* in scenam progressus populo se vendat

(v. 890 sqq.), juvenes corrumpit (v. 185) ideoque gravi poena adficitur domo incensa (v. 1498 sqq.) tanquam impius sophista, similiter atque antea Protagorae libri Athenis in foro publice combusti erant (Diog. Laert. IX, 52). Neque alia de causa secundas Nubes poeta paene jam perfectas non docuit, nisi quod haec crimina ne cadere quidem in Socratem tandem vidisset. Omnino in Nubibus Socrates pessime confusus est cum Protagora, de quo vide praeter alios Aristotelem Rhetor. II, 24 fin., Eudoxum ap. Stephan. Byz. p. 6 ed. Mein., Gellium V, 3. Comicus enim quum Nubes scriberet retractaretque, vulgi Atheniensium errore captus tenebatur, qui animis adeo infixus haerebat, ut unius Protagorae professio: *τὸ τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν* vel in capitis causa Socrati male objiceretur. Quare comoedia illa historiae fidem ita demum haberet, si quis pro Socrate plerumque nomen sufficeret Protagorae. Enimvero Platoni, ut hunc vulgi errorem deleret, ad veri Socratis personam in dialogis tuendam via munienda erat et aliquis sophista in scenam obtorto collo protrahendus ut Socrati infestus. Hinc in primis de republica libris Socratem docet non sophistam fuisse sed eorum adversarium neque impie evertisse justitiam sed acriter defendisse. Ibidem vero Socrati Thrasymachum sophistam opponit, quem partes agere jubet contrarias. Quare nisi Plato atrocius in Thrasymachum inveheretur, facile credo futurum fuisse, ut pro Thrasymachi nomine ubique eum, qui tum forte Athenis aberat, Protagoram ponere ubique posset. Etenim Plato (ut Glauconem initio libri secundi omittam) primo in libro cum Socrate Protagoram altercantem eodem jure facere poterat, quo nunc Thrasymachus altercatur. Quae omnia si quis vere ab nobis dicta esse concedet, is et foedas quasdam maculas e vita eluerit Thrasymachi, et Platonem Socratis alumnum turpi impietatis crimine absolverit. Nam ut tota antiquitas de hoc magistri nomine taceat, tamen etiam Thrasymachum magistrum

Platoni fuisse, eximii illi Platonis rhythmi loquuntur et clamant. Nunc ad Hermannum revertor. Est apud Galenum in praefat. lexici Hippocr. p. 404 sqq. ed. Fr. locus Daetalensium Aristophanis, ubi senex pater alterum filium nova vocabula usurpantem deridet. Qui postquam *ὑποτεκμαίρομαι* et *καλοκἀγαθία* novavit, tum senex: *οἶμαι, ὦ Θρασύμαχε, | τίς τούτων τῶν ξυνηγόρων τηρεύεται;* Pro *οἶμαι* recte Cornarius *οἴμοι* (*οἴμ'*), itemque *τοῦτο* Brunckius pro *τούτων*. Denique *τηρεύεται* edd. quaedam Galeni, *τερεύεται* ed. Ald., *τερύεται* Basileensis et p. 406 Franziana, quo auctore ,vulgo' erat *σερύεται*. Dobreo, Lehrsio (de Aristarch. p. 43), Cobeto (de arte interpr. p. 153) et Hermanno p. 5 *τερατεύεται* in mentem venit, quo rejecto ego (de Daetal. p. 54) ,si *τερύεται* idonea auctoritate stabilitum sit, nihil verius judicavi Brunckii emendatione *γηρύεται*', quae jam Elmslejo, Seidlero Dindorfioque probata erat. Ita scribendum est: *οἴμ', ὦ Θρασύμαχε, | τίς τοῦτο τῶν ξυνηγόρων γηρύεται;* Hic igitur quum unus Suevernius (über ,Ar. Wolken' p. 28) Calchedonium sophistam tecte adsignificari voluisset: Hermannus p. 5 comicum *οἴμ' ὡς* tragice interpretatus solum hic sophistam dici contendit eumque compellari quamvis absentem. At infelicem de sophista opinionem ego l. l. p. 53 satis refutaram: certa enim interlocutoribus nomina data esse, nec si filius *Θρασύμαχος* vocetur, propter sophistam sed ob ipsius ingenium adolescentis hoc fieri, cui soli poeta id nominis imposuerit. Et (mirum dictu) idem ibidem Suevernius haec verba recte explicarat ratus filium male moratum, quod ferocius patri quasi in pugna insultasset, tanquam hominem ad vim paratum isto nomine adpellari. Conferre alius filii nomen licet quod in Vespis est: *Βδελυκλέων*. Hic tamen omnes aliquo modo erravimus, Suevernius unum locum non uno sed duplici modo accipere ausus, ego l. l. p. 54 alterum senis filium, qui erat probus ita dici opinatus, Bergkius (Aristoph. fragm. p. 1036) *καλοκἀγαθεῖν* conjectans, quod

inde dissentit, sed etiam de ipsis numeris multa addit ab Tullio omissa. Hinc elucet alios Quintiliano fuisse auctores: ut (si tamen Theophrastum Cicero inprimis expressit) ipse potius vel Theodectem vel Ephorum vel Naucratem sit secutus. Tantum tamen abest, ut illi verbum de verbo reddiderint, ut suo uterque judicio utatur multaque ipse adjiciat et maxime Tullius, qui c. 67: ‚plura, inquit, de numerosa oratione diximus quam quisquam ante nos‘. Nunc primum de vitiis Ciceronis ejusque pedisequi exponere placet, deinde de utriusque virtutibus. Unum modo errorem, sed eum maximum O. Jahnius in Proleg. p. 23 Ciceroni imputat, quod natura rhythmi, unde proficiscendum fuerit, parum sit inlustrata. Nec sane quae c. 53 sqq. ea de re leguntur, possunt satisfacere culpa etiam librariorum. Etenim c. 56 quum caeteros tum Jahnium gravis menda in his effugit: ‚quodsi et angusta quaedam atque concisa et alia est dilatata et fusa oratio, necesse est id non literarum accidere natura, sed intervallorum longorum et brevium varietate: quibus implicata atque permixta oratio quoniam tum stabilis est tum volubilis, necesse est ejusmodi naturam numeris contineri‘. Tu fac suppleas corrigasque in hunc modum: necesse est ejusmodi [varietatem] natura numeri contineri. Adhuc enim illo loco Tullius versatur in explicanda numeri natura. At sic quoque ego me haud diffiteor, quidnam sit ‚natura numeri‘ non ex hoc potius Ciceronis loco quam ab G. Hermanno metricorum principe primum recte didicisse. Equidem alia vitia adferam, in quae scriptores ab Graecia nimium suspensi facile poterant incidere. Primum enim et Cicero et Quintilianus ubique sic agunt, quasi ea praecepta, quae solis Graecis Graeci dederant, omnia fere data fuerint etiam Romanis. At quum in numeris et in metris brevitas syllabarum et longitudo momentum faciant, ab altera lingua alteram plurimum videmus distare, graecam brevibus abundare syllabis, longis

autem latinam. Ut exemplo utar, unum numerum in Graecia florentem, Latio tamen ob tot syllabas breves tam raro concessum, paeonicum dico multo melius mihi videntur omissuri fuisse. Nunc illi toties commemorant atque adeo laudant hunc ipsum numerum, ut credidisse videantur Aristotelem quasi vatem paeones Romanis quoque commendatos voluisse. Deinde id quod apud Aristotelem in Rhetor. III, 8 luce clarius est, antiqui rhetores in oratione solos fere curabant numeros, contra Tullius et Fabius metricos tantum pedes metiebantur. Ita Theophrastus sive alius, cujus verba Cicero in Oratore c. 57 fecit latina, Ephorum jure castigat, quod syllabis metiendos pedes quasi metricos parum constanter existimarit, non utpote numeros temporibus et intervallis distinguendos esse. Ergo quod Cicero ibidem censet ‚omnes in oratione esse quasi permixtos et confusos pedes' hoc dicit (quod per se verum est), vix ullam orationem esse, in qua non omne genus pedum metricorum reperiatur. At ille hanc ipsam rem iis, quibus profecto idem visum erat, Aristoteli, Theophrasto Theodectique nimium male opponit. Hi singulos fere in oratione numeros probaverant, Aristoteles paeonicum, quidam iambicum et alii alium, Ephorus autem binos, cum paeane dactylicum. Quos Cicero si tamen refutare voluit, non potuit quin hoc diceret, numeros omnes una in oratione permiscendos esse et confundendos: quo nihil est absurdius. Quis enim non omnibus sibilis oratorem explodat, qui sublimes numeros Pindari cum levibus dramatis satyrici et hilares Aristophanis cum severis Aeschyli copulare coeperit? Quae quum ita sint, Quintiliani inscitia IX, 4, 87 non ferenda est, qui Thrasymachum, Aristotelem, Theophrastum, Theodectem et Ephorum miratur in hac opinione fuisse, ut in oratione alios pedes metricos eligerent aliosque damnarent. Quos enim pedes isti temere damnarunt, hi ‚irrumpent, inquit, etiam ad invitos, nec semper illis

heroo aut paeane suo uti licebit'. Ceterum hi latinorum scriptorum errores e communi fonte auctorum manarunt graecorum, qui ita potius legi voluerant, ut judicium cognitioni ne praecurreret. Sed ut ad libri aurei, cui nomen est ,Orator' magnas virtutes transeam, neque ullus illorum errorum ad linguam refertur latinam, neque (ut recte Quintilianus IX, 4, 1) ullum opus Ciceroni magis elaboratum est hoc ipso ,Oratoris' loco de compositione. Scripsit autem haec tam subtiliter tamque adcurate quum lectorum gratia rei ipsius magnitudine adductus, tum etiam sui defendendi causa ab Calvo, Bruto ipso et aliis lacessitus. Hi enim Tullium solutum et enervem, item fractum atque elumbem esse loquebantur, semet ipsos vero atticos et uni Lysiae similes dici haberique cupiebant. Iidem vero adversarii, ut est apud Tullium l. l. c. 54, numeris in oratione utendum esse omnino negabant. Nempe isti non Tullio bellum indixerant, sed periodum Tullianam, insigne decus eloquentiae latinae evertere conabantur. De qua re ne quis dubitet, numerus oratorius cum periodo tam arcte cohaeret, ut ab altero alterum divelli nisi cum utriusque pernicie non possit. Nam ambo et uno tempore ab Graecis primum inventa, et sicut Aristoteles in Rhetor. III, 9 demonstravit, naturali inter se vinculo juncta planeque concreta, et ab eodem Isocrate una ambo perfecta sunt. Hic autem, ut bene Tullius l. l. c. 61, ea circumscriptione utitur, ut tanquam in orbe inclusa currat oratio, quoad in singulis sententiis absolutis insistat. Post Ciceronem vero labente paullatim eloquentia latina primo numeri vis depravari coepta est, deinde ars periodi magis magisque corrupta, postremo periodo una cum numero sublata ambo funditus interierunt. Tum vero omnes ad nascentis orationis rude initium revoluti erant. Quorum alii eique saniores (Aristotelis in Rhetor. III, 9 fortasse memores) ad Herodoteum dicendi genus refugiebant, quo Graeci quoque primum omnes usi fuerant: alii ut apud Graecos Asiani

atticae linguae corruptores, sic isti incisim membratimque loquebantur. Quo facto hi meliore se loco quam illos sperabant futuros esse, quorum sermo saepe tam incertus vagabatur, ut ne finem quidem invenire posset. Hinc neque interspiratione in mediis sententiis abstinebant, neque in ipso fine debiles voculas, ut ‚ei, eam, eum, eas, eos' ponere dubitabant, id quod in Plinio majore, in Justino et interdum Suetonio animadvertere licet. Longe aliter vero Aristoteli in Rhetor. III, 8 et Ciceroni in Oratore c. 68 visum erat, quibus plane adsentior. Numerum enim in periodi compositione adhibere necesse est, non solum quod multo majorem habent apta vim quam soluta, verum etiam ne infinite feratur ut flumen oratio, quae non aut spiritu aut interpunctione sed sententia et numero coacta insistere debet.

Epimetrum.

His scriptis forte *) incidi in C. F. Hermanni ‚disputationem de Thrasymacho sophista‘ (Gottingae, a. 1848), quam unam carus ille amicus ad me mittere oblitus est, quum caeteras vel Marburgi vel Gottingae ab se editas semper misisset. Ita quum lectorum commodo tum ipsius viri memoriae hoc deberi arbitror, ut de Hermanni mei conjecturis velut corollarii loco aliquid adjiciam. Ostendit igitur (p. 3 et 4) de inventore nostro neminem iniquius judicasse Platone in primo maxime libro de republica, in quo Thrasymachus cum doctrina solis sophistis digna juris contemtionem, morum asperitatem, petulantiam, contumaciam, denique impudentiam conjunxisse dicitur hisce in locis: p. 336, B (bis), p. 337, A, p. 337, D, p. 338, A, p. 343, A, p. 344, D, p. 350, D, p. 350, E, p. 352, B, p. 354, A; confer V p. 450, B. Tum (p. 13 sqq.) quaerit, quomodo fieri potuerit, ut unus fere Plato virum sempiterna laude florentem tam indigno modo describeret eique infamiae notam quasi improbo sophistae inustam vellet. Respondet autem de moribus Thrasymachi nihil fere praeterea constare ideoque fieri saltem potuisse, ut ‚ob insignem quandam morum foeditatem‘ infamia flagraret.

*) [Quod me ‚forte‘ dixi incidisse, A. Weidner censor meus miratur, sed ut e praefatione mea ipse intelliget, miratur inepte. **Ex Addendis.**]

Illud vero non male addit, omnes sophistas in Platonis odium ob pravam morum doctrinam et verae philosophiae inscitiam incurrisse, neque alium tummaxime sophistam Athenis praesto fuisse, cui talis morum perversitas nisi inepte tribui potuerit. Deinceps Thrasymachum in illis apud Platonem placitis communi saeculi morbo dicit laborasse, quod Graeci tum juris ignari non suum cuique tribuere sed suo quisque lucro prospicere soliti sint. Jam Thrasymachum Platonicum conjicit adhuc juvenem necdum rhetorem sed merum fuisse sophistam eumque virum factum potuisse resipiscere. Deinde et hic p. 14 Hermannus et antea in l. ‚Gesch. d. platon. Philos. T. I p. 537 sqq.‘ subtili judicio censet primum de republica librum longo ante reliquos tempore separatim conscriptum et seorsim primo editum esse favente A. Gellio N. A. XIV, 3, qui ‚duo fere libros de republica primos in vulgus exiisse‘ liquido testatus est. Ex quo id certe sequitur, spissum Platonis de republica opus primo non totum simul evulgatum esse. Quae tametsi bene disputata sunt eoque melius, quod Platonem Thrasymachi adversarium a praeconcepta opinione partiumque studio liberum fuisse negavit: primariam tamen rem ab Hermanno plane videmus neglectam esse, personam dico Socratis. Hoc enim patet, non Hermanno nos potius quam Gellio adsentiri, quod cum primo etiam secundus liber vel ob Glauconis orationem una edendus erat. Socrati vero nihil plus Athenis nocuit, quam quod pariter atque sophistae magnam dialecticis operam impendit eoque ab vulgo veritatis ignaro ipse quoque in numero habitus est sophistarum. Verum Platonicus Socrates cum Aristophaneo in Nubibus componi debebat, qui illi contrarius et similis est Thrasymacho, suppar denique Protagorae. Nam apud Aristophanem id agit Socrates rhetor, ut infirmior causa fiat potior (v. 114 sqq. et v. 882), injustitiam usque eo laudat, ut in secundis Nubibus *Ἄδικος Λόγος* in scenam progressus populo se vendat

(v. 890 sqq.), juvenes corrumpit (v. 185) ideoque gravi poena adficitur domo incensa (v. 1498 sqq.) tanquam impius sophista, similiter atque antea Protagorae libri Athenis in foro publice combusti erant (Diog. Laert. IX, 52). Neque alia de causa secundas Nubes poeta paene jam perfectas non docuit, nisi quod haec crimina ne cadere quidem in Socratem tandem vidisset. Omnino in Nubibus Socrates pessime confusus est cum Protagora, de quo vide praeter alios Aristotelem Rhetor. II, 24 fin., Eudoxum ap. Stephan. Byz. p. 6 ed. Mein., Gellium V, 3. Comicus enim quum Nubes scriberet retractaretque, vulgi Atheniensium errore captus tenebatur, qui animis adeo infixus haerebat, ut unius Protagorae professio: τὸ τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν vel in capitis causa Socrati male objiceretur. Quare comoedia illa historiae fidem ita demum haberet, si quis pro Socrate plerumque nomen sufficeret Protagorae. Enimvero Platoni, ut hunc vulgi errorem deleret, ad veri Socratis personam in dialogis tuendam via munienda erat et aliquis sophista in scenam obtorto collo protrahendus ut Socrati infestus. Hinc in primis de republica libris Socratem docet non sophistam fuisse sed eorum adversarium neque impie evertisse justitiam sed acriter defendisse. Ibidem vero Socrati Thrasymachum sophistam opponit, quem partes agere jubet contrarias. Quare nisi Plato atrocius in Thrasymachum inveheretur, facile credo futurum fuisse, ut pro Thrasymachi nomine ubique eum, qui tum forte Athenis aberat, Protagoram ponere ubique posset. Etenim Plato (ut Glauconem initio libri secundi omittam) primo in libro cum Socrate Protagoram altercantem eodem jure facere poterat, quo nunc Thrasymachus altercatur. Quae omnia si quis vere ab nobis dicta esse concedet, is et foedas quasdam maculas e vita eluerit Thrasymachi, et Platonem Socratis alumnum turpi impietatis crimine absolverit. Nam ut tota antiquitas de hoc magistri nomine taceat, tamen etiam Thrasymachum magistrum

Platoni fuisse, eximii illi Platonis rhythmi loquuntur et clamant. Nunc ad Hermannum revertor. Est apud Galenum in praefat. lexici Hippocr. p. 404 sqq. ed. Fr. locus Daetalensium Aristophanis, ubi senex pater alterum filium nova vocabula usurpantem deridet. Qui postquam *ὑποτεχμαίρομαι* et *καλοκἀγαθία* novavit, tum senex: *οἶμαι, ὦ Θρασύμαχε, | τίς τούτων τῶν ξυνηγόρων τηρεύεται;* Pro *οἶμαι* recte Cornarius *οἴμοι* (*οἴμ'*), itemque *τοῦτο* Brunckius pro *τούτων*. Denique *τηρεύεται* edd. quaedam Galeni, *τερεύεται* ed. Ald., *τερύεται* Basileensis et p. 406 Franziana, quo auctore ,vulgo' erat *σερύεται*. Dobreo, Lehrsio (de Aristarch. p. 43), Cobeto (de arte interpr. p. 153) et Hermanno p. 5 *τερατεύεται* in mentem venit, quo rejecto ego (de Daetal. p. 54) ,si *τερύεται* idonea auctoritate stabilitum sit, nihil verius judicavi Brunckii emendatione *γηρύεται*', quae jam Elmslejo, Seidlero Dindorfioque probata erat. Ita scribendum est: *οἴμ', ὦ Θρασύμαχε, | τίς τοῦτο τῶν ξυνηγόρων γηρύεται;* Hic igitur quum unus Suevernius (über ,Ar. Wolken' p. 28) Calchedonium sophistam tecte adsignificari voluisset: Hermannus p. 5 comicum *οἴμ' ὡς* tragice interpretatus solum hic sophistam dici contendit eumque compellari quamvis absentem. At infelicem de sophista opinionem ego l. l. p. 53 satis refutaram: certa enim interlocutoribus nomina data esse, nec si filius *Θρασύμαχος* vocetur, propter sophistam sed ob ipsius ingenium adolescentis hoc fieri, cui soli poeta id nominis imposuerit. Et (mirum dictu) idem ibidem Suevernius haec verba recte explicarat ratus filium male moratum, quod ferocius patri quasi in pugna insultasset, tanquam hominem ad vim paratum isto nomine adpellari. Conferre alius filii nomen licet quod in Vespis est: *Βδελυκλέων*. Hic tamen omnes aliquo modo erravimus, Suevernius unum locum non uno sed duplici modo accipere ausus, ego l. l. p. 54 alterum senis filium, qui erat probus ita dici opinatus, Bergkius (Aristoph. fragm. p. 1036) *καλοκἀγαθεῖν* conjectans, quod

ne graecum quidem est sed prorsus barbarum. Hoc tamen Bergkius me duce recte observavit Calchedonium sophistam ad Aristophanis versus nullo modo pertinere. Nimirum Thrasymachi nomine, quod non est admodum frequens, tamen praeter sophistam nostrum alii quoque adpellati sunt, primum hic ipse in Daetalensibus interlocutor, qui adolescens erat improbus ac plane *θρασύμαχος*, deinde multo post philosophus quidam Corintho oriundus ap. Diogenem Laërt. II, 113 et haud dubie plures. Sed alius versus in quo idem nomen legitur est Theopompi comici in fabula ‚*Στρατιώτιδες*‘ ap. Priscianum Inst. Gr. XVIII p. 206 ed. Kr.: *Θεόπομπος Στρατιώτῃ γυνὴ Θρασυμάχου ὑμῶν γυνὴ καλῶς ἐπιστατήσει.* Ita vulgo, ceterum codex Monac. plane confirmat optimam emendationem Porsoni (Praef. Hecub. p. XLV): *Θεόπομπος Στρατιώτισιν· ‚Ἡ Θρασυμάχου δ' ὑμῶν γυνὴ καλῶς ἐπιστατήσει‘.* Haec vero Hermannus p. 5 ad Calchedonium nostrum referenda esse negat, quod Calchedonem hujus comoediae scena vix possit transferri. Sciebat tamen sophistam nostrum et Theopompi aequalem fuisse et diu vixisse Athenis. Neque hoc nesciebat, comici versum, in quo de muliere sermo est, e ‚militantibus mulieribus‘ depromtum esse, re vel per se ridicula, quae nobis haudquaquam negligenda est. Contra et Bergkius (De reliq. com. antiq. p. 82) et Meinekius (Fragm. com. V. II. P. II. p. 813) vel nutu vel verbo indicant nullum alium Thrasymachum hic sibi dictum esse videri nisi Calchedonium: quibus ego duumviris plane adsentior. Nam vis hujusce versus comica ita tantum constabit, si quid salis insit vel etiam acuminis. Jam Calchedonius sophista nomen et omen habebat, de quo Herodicus ap. Aristotelem in Rhetor. II, 23: ‚*Ἡρόδικος* (*Πρόδικος* L. Spengel) *Θρασύμαχον* (*ἐκάλει*) ‚*ἀεὶ θρασύμαχος εἶ*‘ poteratque idem in comoedia certe ob solum nominis lusum vel *θρασὺς στρατηλάτης* (Eurip. Phoeniss. v. 600) adpellari. Haec virtus comice ad uxorem transfertur

tali marito dignam, quae et fortis bellatrix futura sit et bona imperatrix. Neque ideo hanc mulierem necesse est viraginem quandam fuisse: cave enim ad vivum joca reseces comica. Quanquam si uxor vel Bithyna fuit (ut ipse) aut certe barbara, vel statura ingenti: jocus aptior et omnino erit melior. Quae si recte disputavi, Thrasymachus Calchedonius uxorem habuit. Sed ad Ephippi comici versus transeo ap. Athen. XI p. 509, C: *ἔπειτ' ἀναστὰς* (ita bene Jacobsius pro *ἐπεὶ καταστὰς*) *εὔστοχος νεανίας | τῶν ἐξ Ἀκαδημίας τις ὑπὸ Πλάτωνα καὶ | Βρύσωνα* (ita recte Grotius pro *βρύσων ὁ*), *θρασυμαχειοληψικερμάτων | πληγεὶς ἀνάγκῃ* —. Hic Meineki (in Fragm. Com. III p. 332) conjecturam: *Βρυσωνοθρασυμαχειοληψικερμάτων* Hermanno p. 8 probatam qui Ephippum intellexerit certo explodet. Nam et *καί* v. 2, quod tum explicari nequit, et hoc ipsum *Βρυσωνο* — aeque inepta sunt, quia haec res nihil adtinet ad Brysonem. At nunc in verbis *ὑπὸ Πλάτωνα καὶ | Βρύσωνα* recte habent et *καί* in fine trimetri locatum et *Βρύσωνα* accusativus. Tu verte: ‚Academicus qui erat a Platone et — quis credat? — a Brysone'. Ephippus minime (ut Meinekius opinabatur) hoc dicit, Brysonem scholas in Academia habuisse, sed Theopompo Chio ap. Athen. XI p. 508, C adsentiens Platonem tam multos Brysoni dialogos suffuratum esse, ut qui Platonis discipulus sit, idem sit Brysonis. Iste igitur Academicus ictus videtur et quasi percussus necessitate lucri, quod eodem modo facturus sit, quo olim Thrasymachus. Haec autem ad Calchedonium nostrum unice spectant, qui etiam in Plat. De rep. I p. 337, E, mercedem exigit. Exigebant autem sophistae ad unum omnes, nullus fortasse acrius et acerbius Protagora. At Ephippus ne loquitur quidem de mercede, cui verba *πληγεὶς ἀνάγκῃ* repugnant. Immo sic corrigo: *θρασυμαχειολειψικερμάτων*, h. e. ‚ictus necessitate numulorum, qui eum ut Thrasymachum deficiebant'. Nam ut Thrasymachum postremo inopem viderunt

Athenae (teste Juvenali VII, 205): ita hunc Academicum, qui in Ephippi ,Naufrago' loquebatur puto fortunarum suarum naufragium fecisse. De finali illo *καί* vide mea ad Arist. Thesm. v. 384 et Nauckium ad Sophocl. Oedip. R. v. 267. Tum Hermannus p. 6 Lysiae natales attigit, quem non, ut Pseudoplutarchus (Vit. X orat. p. 835, c) cum Dionysio (De Lysia c. 1) diserte ait Ol. LXXX, 2 (459 a. Ch.) sed pluribus demum annis post natum esse multi viderunt. Vatero autem bene refutato, qui circa Ol. LXXXVI in lucem voluit editum, ipse annum Lysiae natalem posuit Ol. LXXXIV, 1 conjectura admodum incerta. Deinceps de Thrasymachi natalibus p. 6 sq. paulo majore studio quam ego supra disseruit. Ac Dionysius quidem, qui (De Lysia c. 6) Thrasymachum Lysia paulo juniorem fecit, haud dubie vulgari fama deceptus Lysiae natales posuerat Ol. LXXX, 2, id est Thrasymachum non ita multo post Ol. LXXX, 2 natum esse conjecerat. At Lysiam potius Thrasymacho juniorem fuisse e Platone De Republ. Lib. I (ut bene Hermannus) elucet, ubi quum Lysiae ob puerilem paene aetatem muta persona sit, Thrasymachus utpote juvenis et jam viro propior magnas agit partes. Jam ut supra dixi Cicerone in Orat. c. 13 et c. 52 auctore Isocratem, qui certe Ol. LXXXVI, 1 (436 a. Ch.) natus est, Thrasymachus tota aetate praecessit. Non video tamen, qui factum sit, ut Hermannus p. 7 Dionysium (De Lysia c. 6) duplicis erroris reum et bene refelleret et eidem non dubitaret obsequi. Fingit enim Hermannus uno duce Dionysio paulo post Ol. LXXX, 2 circa Ol. LXXX, 4 natum esse Thrasymachum. In Platone vero De Republ. I totus habitus conloquii talis est, non ut vir cum juvene sed ut aequalis pugnet cum aequali. Ita quum Socratem Ol. LXXVII, 4 (469 a. Chr.) natum esse constet: nullus dubito, quin eodem fere anno Thrasymachus aut non longe secus in lucem sit editus. Quam rem unus L. Spengelius (Art. script. p. 95) egregie perspexit

Thrasymachum ratus Antiphonti aequalem aut non multo inferiorem fuisse. Antiphontem haud dubie ut Ruhnkenius Ol. LXXV, 2 natum esse voluerat. Tum H. p. 6 sq. de reipublicae Platonicae temporibus disputavit, qui locus admodum lubricus est. Multa quae in his libris relata legimus, brevi ante quam ederentur facta esse Bergkius (Reliq. Com. Ant. p. 82—87) recte docuit. Nos vero hic eum annum unice quaerimus quo conloquium illud de optima civitatis specie in libro I habitum esse fingatur. Omisso igitur Cephali tempore mortis ut nimis incerto haec res a natalibus quum Lysiae tum Thrasymachi tota fere suspensa est. Nam et illum adhuc adolescentulum Plato nobis proposuit et hunc jam juvenem virum et eum sophistam. Ergo quod alii hunc sermonem ad Ol. XC, alii ad Ol. XCII referre conati sunt, utrumvis temporum rationi omnino adversatur. Quodnisi unus locus (I p. 329 C) obstaret, Bergkio (l. l. p. 81) aliisque hoc conloquium facile crederem ad Ol. LXXXIII, 4 revocandum esse. Nunc reliquum est, ut Hermanno adsentiar, qui hujusce sermonis tempus a Platone circiter Ol. LXXXVII, 3 fictum esse conjecit. Tunc enim Lysias utpote (sicut ego opinor) Ol. LXXXIII, 1 natus annorum fuit septemdecim, Thrasymachus autem paulo post Socratem circa Ol. LXXIX, 1 editus annorum triginta et quod excurrit. Illud quoque Hermannus scite observavit, Thrasymachum ne potuisse quidem rhetoricae docendae prius facere initium, quam Ol. LXXXVIII Gorgias Tisiasque Athenas venissent (quo tempore noster annorum fuisse videtur prope XL). At quivis videt, ut bene Hermannus p. 7, hoc tempore, quo in Platone de justitia cum Socrate rixantem videmus, minime eum ut rhetorem introductum esse sed tantummodo ut sophistam, qui sophistarum artes jam alios doceret ut Clitophontem et in Platone De Rep. et in novitio dialogo cognomini p. 406, A. Contra rhetorem Thrasymachum in Phaedro p. 267, C Plato magna quadam laude pro-

sequitur. Quumque e Platone tantum, a quo Maximus Tyrius, Ael. Aristides et Themistius pendent, illiusque in Lib. I De Rep. testimonio constet Thrasymachum sophistam fuisse: Hermannus p. 8 conjicit eum plane ut Gorgiam sophistae nomine offensum potius rhetorem se dici et haberi voluisse. Haec habui, quae ex Hermanni disputatione putarem adferenda et partim comprobanda esse. Quodsi Hermannus aliis hoc in loco non plane satisfecerit: cogitent velim illius dissertationem a. 1848 scriptam esse, id est anno vel maxime turbulento.

ΛΟΥΚΙΑΝΟΣ.

ΝΕΚΡΙΚΟΙ ΔΙΑΛΟΓΟΙ.

XI.

ΚΡΑΤΗΤΟΣ ΚΑΙ ΔΙΟΓΕΝΟΥΣ.

1. ΚΡΑΤ. Μοίριχον τὸν πλούσιον ἐγίγνωσκες, ὦ Διόγενες, τὸν πάνυ πλούσιον, τὸν ἐκ Κορίνθου, τὸν τὰς πολλὰς ὁλκάδας ἔχοντα; οὗ ἀνεψιὸς Ἀριστέας,

---

Luciani ab me recensiti recensendique adhuc partes quinque in lucem exierunt, quarum ultima sive tertii voluminis pars prior ,mortuorum dialogis' I—X finita est. nunc autem spatio interposito tandem mihi contigit, ut in proposito opere pergam transeamque ad eos hujus generis dialogos, qui adhuc residui sunt. quam vellem hoc aliquanto prius facere potuissem. paucis tamen editoribus fortuna dedit, ut ad studia libere eligenda planeque perficienda omne tempus haberent vacuum. at nos ipsis muneris nostri rationibus ad alias ab aliis literis avocati multisque simul districti negotiis crebro dubitamus, quidnam potissimum nunc nobis agendum sit, quidve in crastinum liceat differre. quamobrem magna animi firmitudine opus est, ne quae studia intermittere coactus fueris, ea prorsus omissa videaris deposuisse. ego quidem et ad Aristophanem veteres amores meos quam saepissime revertor, et idem caveo, ne Lucianus de manibus meis penitus excutiatur, quem olim puero meus mihi Lehmannus interpretari coepit. nunc igitur redeo ad Lucianum.

XI.

lectiones codicis Ω in hoc dialogo supplevit Herwerden in l. ,Plutarchea et Lucianea' p. 57.

Κράτης Διογένης A hic et in indice sed in subscriptione: Κράτης καὶ Διογένης.

1. ἐγίγνωσκες Dindorfius pro ἐγίνωσκες. πάνυ πλούσιον] πάνυ γέροντα 𝔄. ἔχοντα om 𝔄, speciose. ὧν (B)OΩ𝔄ΨΦ et v, om ὧν AF soli. ὃς addunt ACΔF cum Solano, sed om

πλούσιος καὶ αὐτὸς ὤν, ὅς τὸ Ὁμηρικὸν ἐκεῖνο εἰώθει
377 ἐπιλέγειν, ἤ μ'. * ἀνάειρ', ἢ ἐγὼ σέ. ΔΙΟΓ. τίνος ἕνεκα, ὦ Κράτης; ΚΡΑΤ. ἐθεράπευον ἀλλήλους τοῦ κλήρου ἕνεκα ἑκάτερος ἡλικιῶται ὄντες, καὶ τὰς διαθήκας ἐς τὸ φανερὸν ἐτίθεντο, Ἀριστέαν μὲν ὁ Μοίριχος, εἰ προαποθάνοι, δεσπότην ἀφιεὶς τῶν ἑαυτοῦ πάντων, Μοίριχον δὲ ὁ Ἀριστέας, εἰ προαπέλθοι αὐτοῦ. ταῦτα μὲν ἐγέγραπτο, οἱ δ' ἐθεράπευον ὑπερβαλλόμενοι ἀλλήλους τῇ κολακείᾳ καὶ οἱ μάντεις, οἵ τε ἀπὸ τῶν ἄστρων τεκμαιρόμενοι τὸ μέλλον οἵ τε ἀπὸ τῶν ὀνειράτων, οἵ τε Χαλδαίων παῖδες, ἀλλὰ καὶ ὁ Πύθιος αὐτὸς ἄρτι μὲν Ἀριστέᾳ παρεῖχε τὸ κράτος, ἄρτι δὲ Μοιρίχῳ, καὶ τὰ τάλαντα ποτὲ μὲν ἐπὶ τοῦτον, νῦν δ' ἐπ' ἐκεῖνον

ὅς ΒΟ𝔄ΨΦ et edd. vett. εἰώθει] εἰώθεν 𝔄. ἐπιλέγειν] λέγειν Φ solus cum Lehmanno, frustra. ἤ — σέ] Jl. Ψ, 724, ubi pro ἤ ἐμ' vel ἢ 'μ' bene Bekker, ut est apud Lucianum: ἤ μ' conferens Jl. Φ, 226. ἀνάειρ'] ἄειρ' 𝔄. ἐγὼ σὲ Β𝔄F, ἐγώ σε A et v. τίνος ἕνεκα] τίνος ἕνεκεν Φ. Κράτης; ΚΡΑΤ. ἐθεράπευον ἀλλήλους ΒΟ (ita O) ACΨ cum Hemsterhusio, sed Κράτης, ἐθεράπευον ἀλλήλους; ΚΡΑΤ. 𝔄ΦF et v. ἐς τὸ φανερὸν] εἰς τὸ φανερὸν ΩΔΦF, ἐν τῷ φανερῷ 𝔄. Ἀριστέαν] ἀρισταίαν Φ: schol. Voss. genetivo utitur, τοῦ Ἀρισταίου, sed 𝔄 sic: Ἀριστέα μὲν Μοίριχος. δεσπότην ἀφιεὶς] κληρονόμον ἀφεὶς 𝔄. δὲ ὁ Ἀριστέας ΒΟΨ et v, δὲ ὁ ἀρισταίας Φ, δὲ ἀριστέας 𝔄AF et pr m Ω προαπέλθοι] προαπίοι 𝔄, προαποθάνοι Δ. inter αὐτοῦ et ταῦτα nescio quid erasum in A. ἐγγέγραπτο a. οἱ δ' ΨCM, οἱ δὲ ΒΟ𝔄ΑΦF et v. ὑπερβαλλόμενοι ἀλλήλους ΒΟ𝔄ACΨΦMF ἀλλήλους ὑπερβαλλόμενοι edd. vett.

οἵ τε ἀπὸ — οἵ τε ἀπὸ 𝔄 cum Hemsterhusio et priore loco οἵ τε cd οἵτε Y, sed εἴτε ἀπὸ — εἴτε ἀπὸ ΒΟΑΨΦFΩ et v. ἄστρων] ἀστέρων F. ὥς γε Χαλδαίων ΒΟΑΨΦFΩ et v, sed οἵ τε λεγόμενοι Χαλδαίων 𝔄 favens Hemsterhusi conjecturae: οἵ τε Χαλδαίων. etsi per se non deterius est id quod ego in Qu. L. p. 122 conlato Hermotim. 6 malueram: ὅσοι τε Χαλδαίων.

Ἀριστέα ΒΟ𝔄ACΨVΔFU ἀρισταία Φ, sed Ἀριστεῖ edd. vett. probante (quod mirere) Hemsterhusio. παρεῖχε libri omnes praeter 𝔄, qui παρεῖχον ut Lehmannus non bene conjecerat. ποτὲ μὲν ἐπὶ τοῦτον νῦν δ' (νῦν δὲ ΒΟ) ἐπ' ἐκεῖνον ΒΟΦΩ edd. vett. ποτὲ μὲν ἐπὶ τοῦτον ποτὲ δ' (ποτὲ δὲ Ψ) ἐπ' ἐκεῖνον 𝔄ΨΜ, sed ποτὲ μὲν ἐπ' ἐκεῖνον, νῦν δ' ἐπὶ τοῦτον AF, quod non erat probandum.

ἔρρεπεν ΑΦa, ἔρρεπε caeteri libri et v.

ἔρρεπεν. 2. ΔΙΟΓ. τί οὖν πέρας ἐγένετο, ὦ Κράτης; ἀκοῦσαι γὰρ ἄξιον. ΚΡΑΤ. ἄμφω τεθνᾶσιν ἐπὶ μιᾶς ἡμέρας· οἱ δὲ κλῆροι ἐς Εὐνόμιον καὶ Θρασυκλέα περιῆλθον, ἄμφω * συγγενεῖς ὄντας οὐδὲ πώποτε προμαν- 378
τευομένους οὕτω γενέσθαι ταῦτα. διαπλέοντες γὰρ ἀπὸ Σικυῶνος ἐς Κίρραν κατὰ μέσον τὸν πόρον πλαγίῳ περιπεσόντες τῷ Ἰάπυγι ἀνετράπησαν. 3. ΔΙΟΓ. εὖ ἐποίησαν. ἡμεῖς δὲ ὁπότε ἐν τῷ βίῳ ἦμεν, οὐδὲν τοιοῦτον ἐνενοοῦμεν περὶ ἀλλήλων· οὔτε ἐγώ ποτε ηὐξάμην Ἀντισθένην ἀποθανεῖν, ὡς κληρονομήσαιμι τῆς βακτηρίας αὐτοῦ· (εἶχε δὲ πάνυ καρτερὰν ἐκ κοτίνου ποιησάμενος) οὔτε οἶμαι σὺ ὁ Κράτης ἐπεθύμεις κληρονομεῖν ἀποθανόντος ἐμοῦ τὰ κτήματα καὶ τὸν πίθον

---

2. ἐς] εἰς Α𝔄ΨΦ et Ω, qui mox εἰς Κίρραν. Εὐνόμιον ΒΟΨΦFΩ et v, εὐνόμοιον Α, εὐόνιμον Μ, sed Εὔνομον 𝔄 antiquō nomine, quod dignum est Luciano. καὶ Περικλέα sed in marg. pr m γρ. θρασυκλέα F. περιῆλθοι] μετῆλθον Ψ. οὐδὲ πώποτε] οὐδέπω 𝔄ACF. προμαντευομένους] προμαντευσαμένους 𝔄. sex verba οὐδὲ πώποτε — ταῦτα hinc adfert Thomas p. 66, 4, ubi aliquot edd. προμαντευόμενος et οὕτως. γενέσθαι libri cum Thoma l. l., qui ob hoc ipsum loco utitur; γενήσεσθαι Hemsterhusius juvenis probante Cobeto V. L. p. 229, frustra. unus tamen 𝔄 h. l. habet γενήσεσθαι, si fides est silentio. ἐς] εἰς 𝔄Φ et lemma scholii. Κίρραν] Καρίαν 𝔄, σκίρραν (V).

3. εὖ ἐποίησαν plerique libri ipsius ut videtur Luciani incuria. unus 𝔄: εὖ γε ἐποίησαν. at in tali l. vere atticum est: εὖ γε ποιήσαντες (sc. ἀνετράπησαν). ὁπότε] ὅταν Μ, ὁπόταν Ω. ἐνενοοῦμεν] ἐνοοῦμεν 𝔄. οὔτε ἐγώ ποτε 𝔄ACF cum Schaefero ad Bosii Ellips. p. 724, sed οὔτε πώποτε ΒΟΨΦΩ et v. ηὐξάμην ΒΟ𝔄ΨACF, εὐξάμην Φ et v. Ἀντ. ἀποθανεῖν] ἀποθανεῖν Ἀντ. 𝔄. quinque verba ὡς — αὐτοῦ hinc adfert Thomas p. 217, 2. κληρονομήσαιμι] κληρονομῆσαι με Α, κληρονομίσαιμι Ψ, κληρονομήσαιμι καὶ unus liber Thomae. εἶχε codices omnes, εἶχεν edd. vett. καρτερὰν] κρατερὰν 𝔄ΟΔ. οἶμαι om Ψ. σὺ ὦ Κράτης ΑΨΦΟ et v, sed σὺ ὁ Κράτης Β𝔄F. confer D. Mort. XII, 1: σὺ — ὁ Λίβυς. ἐπεθύμεις — ἐμοῦ] ἀποθανόντος ἐμοῦ ἐπεθύμεις κληρονομεῖν 𝔄. ἐπεθύμεις] ἐπεθύμεις οἶμαι Ψ, ἐπεθύμησας ΦΜ et pr m Ω ubi μεις sup. rec. quinque verba κληρονομεῖν — κτήματα hinc adfert Thomas p. 217, 4. τὰ κτήματα] τὰ βάκτρα 𝔄 solus, invito etiam Thoma. καὶ τὸν

καὶ τὴν πήραν χοίνικας δύο θέρμων ἔχουσαν. ΚΡΑΤ. οὐδὲν γάρ μοι τούτων ἔδει, ἀλλ' οὐδὲ σοί, ὦ Διόγενες. ἃ γὰρ ἐχρῆν, σύ τε Ἀντισθένους ἐκληρονόμησας καὶ ἐγὼ σοῦ, πολλῷ μείζω καὶ σεμνότερα τῆς Περσῶν ἀρχῆς. ΔΙΟΓ. τίνα ταῦτα φής; ΚΡΑΤ. σοφίαν, αὐτάρκειαν, ἀλήθειαν, παρρησίαν, ἐλευθερίαν. ΔΙΟΓ. νὴ
